B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae.

Ex codice autographo primum edidit fr. Leonardus Lemmens O. F. M.

ROMAE
Typis Sallustianis
MCMII

Incipit cronica fratrum minorum de observantia nuncupatoria ad laudem et gloriam sanctissime trinitatis patris et filii et spiritus sancti ac domini nostri Jhesu Christi virginisque matris marie necnon [illegible] et patris nostri Francisci totiusque superne curie triumphantis

Prologus.

Cum sine dolore cordis [illegible] fratres [illegible] nostrum [illegible] in hac nostra familia quamplurimi fratres in arte dicendi doctissimi et consciencie timorate quod hoc opus summa cum omni consolatione scripsissent id quod in me est facere nec multum notum est quod aliquis fecerit. Et cum quia hec et non nulla mirabilia que divina bonitas operata fuit in hac familia memorie commendare debent cum fratribus generaliter [illegible] diceret in nulla perfectione de nostri recordatione [illegible] facta fuit. Licet ego [illegible] arte dicendi sim imperitus tamen ponere volens [illegible] [illegible] stilo rustico ad posteriorum consolationem atque [illegible] que tot et tanta perpetua memoria digna [illegible] silentio transeat, ponere volens de presumptione quam de inutili silentio redargui. Verum quia multa per multos fratres nota fecerunt que ego ipse videre non potui quia longe prius quam ordo me reciperet facta fuerunt illa referam prout multis narrata fuerunt. Plurima vero novi quia presens vidi audivi et [illegible] [illegible] me [illegible] consideravi. Illa narrabo sicut sicut Deus meus mihi [illegible] ministrabit. Nemo tamen putet esse mendacium sequar [illegible] quod forsitam [illegible] videbitur [illegible] [illegible] ex [illegible]. Deo honorem dedit et religionis sue profectum meme [illegible] magna [illegible] fratres [illegible] [illegible] de merendo peccatis.

Explicit prologus incipit [illegible]. Et primo de quibusdam bonis fratribus qui voluerunt se separare ut possent regulam melius observare sed tamen facere potuerunt non.

Capitulum primum

Clarum fuit quod fuerunt quidam pauci boni fratres qui cum vidissent rigorem observantie regularis in religione deficere quorum nomina ignoro zelo sue professionis observande mori [illegible] simul congregati et a communi fratrum conversatione separati et secundum fragilitatem suam regulam suam simpliciter observare. Sed contra eos operante diabolo mota magna tempestas atque persecutio fratrum ita et aliter quod in diversas partes orbis dispersi fuerunt et nichil perfectum facere potuerunt. Item fuit bonus frater et [illegible] qui fuit [illegible] de monte leone nominatus vir utique bone operis [illegible]. Hic quosdam sibi similes bonos fratres habuit et simul concorditer regulam suam simpliciter observare volebat. Sed cum hoc sine voluntate assensu et favore prelatorum facere minime possent a suis superioribus [illegible] postulaverunt ut eis gratiam facerent quatenus regulam suam observare valerent. Qui utique hi suum desiderium implere minime potuerunt. Sed potius iniuriis et contumeliis affecti ab invicem divisi sunt et per diversas orbis partes transmissi suum desiderium implere non valentes mortem egerunt. Fuit insuper quidam notabilis et sancte vite vir nomine frater Angelus de Clareno fervens utique zelator regule cum pedibus observande qui et magno desiderio desiderabat ut a communi fratrum tumultu semotus cum aliquibus fratribus regulam suam secundum voluntatem patris nostri beati Francisci et [illegible] professionem servare posset. Sed magna persecutio contra ipsum et suos mota fuit et quod desiderabat obtinere non potuit. Immo tribulationes multas sustinuit. Iste bonus homo de ytalia profectus pervenit [illegible]. Et cum esset in orientis natione [illegible] in quadam ecclesia in qua lingua greca dicebantur officia divina intravit et genuflectens coram prelato dixit: Jube domne benedicere. Prelatus qui eum suam [illegible] cognoverat [illegible] eum. Ille vero ad librum accedens lectionem in lingua greca perlegit ac si grecus natus esset

Charles Wager
Florence. 10 March. 1921

B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae.

Ex codice autographo primum
edidit fr. Leonardus
Lemmens
O. F. M.



ROMAE
Typis Sallustianis
MCMII

Sumptibus Postulationis Generalis.

LECTORI

B. Bernardinum Aquilanum fuisse sanctum religiosum, eximium concionatorem ac praesulem fidelissimum dudum constat. Exeunte jam quarto a sua morte centenario aliud addere licet encomium: beatus Bernardinus modo eximio meritus est de historia fratrum minorum.

P. Hieronymus Golubovich O. F. M., auctor inter scriptores rerum Palaestinensium notissimus, in bibliotheca nationali Neapolitana Chronicam fratrum minorum observantiae *detexit, quam beatus circa 1480 composuit, nobisque illam evulgandam amice indicavit; quod libenter subivimus sperantes fore, ut chronica per quatuor fere saecula oblivioni data benigne excipiatur et historiae utilitatem majorem afferat.*

Faxit quoque Deus, ut liber hic cultum beati in dies adaugeat, ut ipsi honores supremi in terra mox attribuantur.

Romae, cal. maji 1902.

Fr. Leonardus Lemmens
ORD. FR. MIN.

TABULA MATERIAE

pag.

LECTORI V

INTRODUCTIO. § 1. — Vita B. Bernardini Aquilani XI

§ 2. — De scriptis B. Bernardini XXIII

§ 3. — De materia et utilitate chronicae. XXXII

PROLOGUS 1

CAP. 1. — Incipit tractatus. Et primo de quibusdam bonis fratribus, qui voluerunt se separare, ut possent regulam melius observare, sed tamen facere non potuerunt. 3

» 2. — De fratre Paulutio de Fulgineo, qui observantiam familiae in ordine inchoavit 6

» 3. — Quomodo familia favente divina gratia in Italia coepit augeri. . 9

» 4. — Quomodo haeretici expulsi fuerunt de civitate Perusii et veri fratres beati Francisci exaltati et augmentati in numero et devotione (1374) 12

» 5. — De ampliatione familiae quantum ad provincias et loca diversa. 14

» 6. — De quibusdam primis et principalioribus fratribus ad familiam receptis, quorum vita et doctrina tota christianitas illuminata est. 16

» 7. — De regimine et gubernatione familiae usque ad capitulum generale Paduae celebratum (1443) 23

» 8. — De reformatione ordinis per Martinum quintum attentata, sed minime obtenta (1430) 27

» 9. — Qualiter summus pontifex Eugenius quartus totum ordinem minorum reformare voluit et minime potuit (1443). 29

pag.
CAP. 10. — De novo modo regiminis nostrae familiae post capitulum Paduanum. 32
» 11. — Ad gloriam et honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi, exaltationem sanctae fidei et consolationem hujus pauperculae familiae nonnulla referam de canonizatione sancti Bernardini (1450). . 35
» 12. — De capitulo generali Aquilae in sancto Juliano celebrato, in quo plurima contigerunt, quae necessario narranda videntur (1452). 38
» 13. — Quomodo familia fratrem Robertum de Leccio exaltavit in altum. 44
» 14. — De terribili bello contra familiam excitato in curia Romana, ut simpliciter sub obedientia ministrorum redire deberet (1453). . 47
» 15. — De multiplici pugna in curia Romana ab aemulis et adversariis contra familiam excitata et defensione divina et humana contra calumniantes assumpta 50
» 16. — De scandalis Romae inter saeculares exortis et praedicationibus et moribus hujus viri. 54
» 17. — De ruina plurium fratrum nostrae familiae post praedictam conquassationem et aliquibus aliis memoria dignis, quae contigerunt (1454) 56
» 18. — De novo bello excitato contra familiam tempore Calixti summi pontificis 60
» 19. — De principio confectionis bullarum domini Calixti Assisii facto per reverendissimum dominum legatum de modo vivendi simul patrum conventualium et fratrum de familia (1455). 64
» 20. — De compositione bullarum domini Calixti facta per reverendum patrem fratrem Jacobum de Marchia, cui papa commisit . . . 67
» 21. — De bullis Calixtinis et transumptibus; cum quanta difficultate et qualiter extracta fuerunt per medium reverendissimi domini protectoris. 70
» 22. — De bullis cruciatae per summum pontificem Calixtum confectis, quae nostrae familiae non parvam conquassationem dederunt (1457, 1458). 72
» 23. — De commissione summi pontificis Calixti facta patri beato fratri Joanni de Capistrano de reductione Boemorum ad fidem, et provincia Austriae inchoata et divisa. 75
» 24. — De debellatione Turci et victoria christianorum cruciatorum et obitu patris (1456). 78
» 25. — De capitulo generali Mediolani, in quo patres conventuales bullas Calixti acceptare noluerunt, et de aliis quibusdam ibidem contingentibus (1457) 82
» 26. — De capitulo generali Romae celebrato et electione novi generalis et pluribus aliis, quae tunc contigerunt (1458). 85

pag.

CAP. 27. — De obitu summi pontificis Calixti, serenissimi regis Alfonsi et reverendissimi domini Firmani, protectoris (1458). 90

» 28. — De novo modo vivendi familiae tempore Pii secundi introducto et nonnullis, quae tempore suo contigerunt (1458) 92

» 29. — De capitulo generali sanctae Mariae de Angelis et congregatione cruciatorum in civitate Anconensi et nostro transitu ad partes Dalmatiae (1464) 96

» 30. — De unione provinciae Dalmatiae et vicariae Bosnae facta per vicarium generalem et provincialem in capitulo Pasmani . . . 99

» 31. — De his, quae circa Bosnenses et Dalmatinos et Ragusinos acta fuerunt in capitulo Mantuae celebrato (1467). 105

» 32. — De provisione fratrum provinciae Bosnae et Dalmatiae in capitulo Mantuano et obitu vicarii generalis et aliis quibusdam contingentibus tempore nostri commissariatus in curia Romana (1467-1468) 108

APPENDIX, *Provinciae D. Bernardini Coenobia,* cum vitis quam brevissimis cum beatorum tum optimorum a provincia ipsa oriundorum ac exterorum minorum patrum observantium in iis fere singulis coenobiis sepultorum ad annum 1464 113

INDEX PERSONARUM 127

INTRODUCTIO

§ 1. — Vita B. Bernardini Aquilani.

Gesta beati Bernardini, quem a loco ortus *Fossanum* et a civitate, in qua multum temporis habitavit, *Aquilanum* vocant, paucis post ipsius mortem annis recensuit frater *Marianus Florentinus* in *Fasciculo Chronicorum.* Opus hoc jam deperditum videtur, at Marianum in primis sequitur frater *Marcus Ulyssiponensis,* qui vitam beati in parte tertia *Chronicorum* exhibet.[1]

Eodem fere tempore in lucem prodiit vita beati, quam ejus consanguineus *Antonius Amicius,* juris utriusque consultus, conscripsit; quam vitam heic inserere opportunum duximus, cum nostris diebus vix inveniatur.[2]

---

[1] Adhibuimus versionem italicam *(Croniche degli ordini instituti dal P. S. Francesco);* cf. pg. III, lib. 7, c. XXXVIII.

[2] Exstat in libro « *Funerale* B. Bernardini Aquilanae Fossae, centum ab hinc annis compositum, nunc per I. U. Cons. Antonium Amicium ejus ex fratre Atnepotem, cum Authoris vita in lucem prolatum »; Venetiis, apud Dominicum Nicolinum, 1572 (72 fol. in 12; vita habetur fol. 5-8). Operis hujus rarissimi exemplar invenitur in conventu *S. Juliani* prope Aquilam sito. Vita manu ipsius Antonii Amicii scripta exstat in codice *Z. L.* LXXXIX *Bess.* bibliothecae *S. Marci Venetae,* fol. 352 et 353. — WADDINGUS, *Annales Minorum,* ad an. 1503, n. XVI-XXI, vitam hanc magna ex parte exhibet, quod idem habetur apud GREIDERER, *Germania Franciscana,* t. I (Oeniponte, 1777), pag. 222.

« Beatus Bernardinus in oppido *Fossa*, ab *Aquila Aprutii* « urbe quatuor fere lapidibus distante, ex *Amico Sciolaque* pa- « rentibus ortus ac octavum supra decimum annum agens, « ita latinis est literis eruditus, ut vel jurisprudentiae vel rei « medicae satis commode operam navare potuisset. Qui a « quodam praestantissimo jureconsulto, nec vulgaris extima- « tionis viro Aquilano cive, *Pace* nuncupato, utri earum in- « cumbere statuisset, interrogatus: Rei medicae, pro patris « voluntate, respondit. Repetenti autem: Cur non legibus? sim- « pliciter retulit, se semper audivisse jureconsultos ac causidicos « omnes inferorum poenis destinari. Quod sane a veritate « alienum jurisperito contendente, imo rem medicam conscientiae « perniciosiorem asserente, quippe cum inscie vel malitiose pro- « pinatum pharmacum bona corporis laedat, longe praestantiora « humanis, quibus inscii malique jureconsulti sententia officit, « narrante interim medici cujusdam inscitia ceterorum, quos « ipse vocandos instituerat, auxilium negligentis pulcherrimum « sibi filium, cujus caput equi pede percussum tumefactum « fuerat, obiisse, ut ira succensus impium medicum occidere « constituisset: en mutata sententia Bernardinus hisce verbis « et exemplo commotus *Perusiam*, quo legum facultati incum- « beret, se contulit, ubi plures jam studentem annos ac ere- « mitae cujusdam concionem audientem repentina invasit co- « gitatio: Quid agis, inquit, miser? tui parentes vita functi « sunt, fratribus uxores ac liberi non desunt, praeclareque cum « eis in rebus humanis agitur, sorores nupserunt, ipse solutus « es; si cum hominibus versaris, vitam veluti pecora transigere « non debes, sed omni aetatis tuae tempore insudandum; — id « quod sibi, ut honeste viveret, decreverat faciendum, tametsi « eum inferorum igni perinde addiceret, atque suum in scopum « sagittam arcus emittit; — praestat igitur (secum dicebat) Dei

« Opt. Max. amore laborare, qui mihi ad vitam aeternam con- « sequendam peccata dimittet, quam hic semper insudare ac « igni tandem aeterno destinari.

« Cujus cordi admodum inhaerentis sententiae, quae saepe « in ejus mentem veniebat et excidebat, post plurimorum dierum « curriculum nihil penitus statuebat, quousque a *Melchiore a* « *Sancta Maria in Gallo* dicendi perito in summo scholarum[1] « veteris sapientiae Perusiae mira D. Bernardini Senensis, qui « tunc recens Aquilae dormiverat, ac altissima necdum pluri- « morum annorum serie audita miracula narrante illud primum, « quod pro quodam puero admodum claudicante vir divinus « operatus fuerat, perciperet prodigium; ob quod obstupuit, « pariterque a Spiritu Sancto cor ejus illustratum est, ut totum « sancti viri, quem tum Aquilae, tum Perusiae concionantem « audiverat, precibus tribuendo memoratam constituisset exequi « cogitationem; atque a vestigio, quisnam concionaturus in « proxima Quadragesima Perusiam adveniret, ut ei suum ex- « plicaret propositum, percontatur. Cum vero sibi diceretur, aut « *B. Joannem a Capistrano*, aut certe *B. Jacobum a Marchia* « esse concionem habiturum, Deo immortales habens gratias « plurimum laetabatur. Quamobrem B. Jacobum, ubi advenit, « alloquutus *Petrutio* Aquilano sacerdoti sibi in legibus con- « discipulo charissimo atque a pueris, cum grammatica simul « erudirentur, socio, hujusmodi detexit arcanum; quo grate « accepto ei gratulatus est ac, quo in sententia permaneret, « multis est eum verbis cohortatus. Quadam vero die cum ad « coenobium D. Francisci proficiscerentur, Bernardinus se B. Ja- « cobum alloqui precarique velle dicebat, ne suum Joannis « nomen mutaret, quod uti pulchrum sibi satis arridebat ac

[1] WADD. et GREIDERER « *scalarum* ».

« quadam, cum eo parentes in baptismate vocaverint, veneratione
« complectebatur; quod cum Petrutio optimum videretur si-
« mulatque gratissimum esset, adjumento se in hoc Bernardino
« fore pollicetur. Cumque coenobii claustrum (quod maximum
« est) ingrederentur, B. Jacobus ex adverso in extrema claustri
« parte stans, cum nullo pacto eos cognoscere posset (quippe
« qui lippus imbecillisque visus esset) hisce verbis clamavit:
« " Salve frater Bernardine! hoc volo dicaris nomine, atque cave,
« ne quid repetas." Quae verba ei Spiritum Sanctum revelasse
« atque uti miraculum foret putabant, quod, quaecumque in
« via dixerant, optime sciret, cum sic eos praevenisset, ut,
« quemadmodum factum extitit, huic, quo vocaverat, nomini
« minime repugnarent; atque ita omnes existimabant, cum is
« vir Perusiae ea tunc existimatione, vita ac sanctitate habe-
« retur, ut eum quisque sanctum putaret.

« Omnibus itaque B. patris ad minorum observantium
« religionem hujuscemodi receptione innotescente, Bernardini
« nomine quarto idus martii anno ab ortu Christi 1445 in Divi
« Bernardini memoriam ac venerationem, nec absque admi-
« ratione nuncupari promerentis, cum non longe post tres ad
« religionem exceptos fratres, ipsum scilicet in D. Bernardini,
« fratrem *Joannem a Theramo* in B. Joannis a Capistrano, ac
« fratrem *Jacobum Romanum* in sui ipsius memoriam vocitasse
« sibi semel B. Jacobus edixerit, plures tamen ejus amici ac
« socii male se in religiosa vita habiturum censebant. Verum
« novitiatu divino numine *Eugubii* adimpleto ac tertio nonas
« martias subsequentis anni 1446 *Stronconii* professus jamque
« pluribus annis labores quam maximos graviaque onera subeundo
« in febrem, quae per mensem eum obsedit aestu quodam levi
« interius, haudquaquam exterius apparente, assiduam incidit,
« nihil prorsus medicis aut pharmacis proficientibus; ac totius

« corporis doloribus adeo affectus remansit, ut per septem alios
« menses ignita veste amictus sibi ipsi videretur, assidue vo-
« ciferans nullo in tanto cruciatu sibi existente solatio, nisi
« cum more pueruli lacrimas emitteret; nocte tamen magis
« quam die excruciatus, vigesima quarta quaque diei hora par-
« turientis more affligebatur. Ad haec sensu destitutus ita,
« quod interdum super scabellum sedens vix se hominem esse
« cognosceret, alicujus tantum carnis stillatione nutritus, sae-
« pissimeque in mortis articulo laborans D. vovit Bernardino
« per Deum orans, ut, cum tot tantaque salutis beneficia in
« plurimos contulisset jugiterque conferret, ipsi quoque tot
« cruciatibus affecto praesidio foret, pollicitans, cum primum
« eo prorsus morbo levaretur, quo sacra facere posset, se ad
« Dei Opt. Max. illiusque laudem et gloriam quinquies hostiam
« oblaturum. Quodam autem die mane paulo post auroram
« parum quid dormienti quidam franciscanus apparuit dicens:
« "Uti vales, Bernardine miser?" "Male, inquit, penitusque
« deficio." Subjicienti vero: "Tuum hunc nosti morbum?"
« "Minime" respondit; qui adjecit: "Scito ventum esse vi-
« sceribus inclusum, qui, cum nullo adhuc pacto exire possit,
« hac te molestia afficit; cura igitur, ut aegrotorum custos hoc
« medico referat;" quamobrem adhibito per custodem remedio
« e vestigio Bernardinus convaluit ac primo missarum votum
« in Dei divique Bernardini venerationem exsolvit, ne illius
« virtute, consilio ac meritis acceptae salutis immemor esset.

« Majori vero studio in religione perstans flens semper,
« cum suae meminisset conversionis, quod maxima Dei mi-
« serentis pietate e peccatis consurrexisset, suisque legibus sacrae
« doctrinam paginae adjiciens ubique in provincia ac extra
« concionabatur. Apostolicus vero concionator effectus est ac
« plures annos *vicarius* provinciam rexit, qui et in Romana

« curia totius religionis (ut vocant) *procurator* fuit, atque ob « ejus vitae integritatem a generali vicario praesertim in *Dalmatia* plurimis fuit officiis occupatus, ubi interdum interprete « declarante concionabatur, confessiones audiebat aliaque divina « munera exequebatur.

« Qui tam prius, quam post libros exscribebat atque (quod « sciam) plurimos sermonum libros latine conscriptos reliquit, « *Quodlibet* videlicet, *Quadragesimale, Funerale, Centurionem* atque « *Peregrinum,* quem in peregrini Jesu ei apparentis memoriam « (ut inferius dicetur) prae sua pietate ac religione scripsisse « mihi exploratum est. Necnon *D. Bernardini Senensis* ac *B. Philippi Aquilani vitas* italica lingua descripsit, qua et *Admonitionum* libellum conscripsit. Quin et *Coenobiorum Provinciae* « *D. Bernardini* opusculum cum vitis patrum aliquot in sin- « gulis praedictorum coenobiorum sacris aedibus sepultorum ad « ann. 1464 compendio quam brevissimo latina lingua per- « strinxit, alios quoque nonnullos sermonum libros exarando, « quorum aliquot imperfectos in D. Angeli paulo inferius prae- « libandi bibliotheca videre licebit.

« Magnam itaque in religione luminis claritatem consecutus « ac tribus radiis emicans non sibi modo, sed et aliis veritatis « viam adaperuit. Nam cum tam magnifice in ipso humilitatis, « paupertatis, splendidaeque castitatis radii effulserint, non homo, « sed coelestis angelus videbatur. Talibus namque ac plurimis « radiis sidus hoc praefulgidum jam elucens tamque fragrantem « omnium virtutum odorem spirans non rosam tantum, sed « lilium, imo florum omnium odoramenta excellebat. Nam gravi « morbo detentus hoc a Domino meruit obtinere, ut saepe « habitus sui manicam odorans prae ingenti fragrantia redun- « dante nullam pene diutini languoris molestiam praesentiret; « quo Dominus quippe admonitos nos voluit, ut tanta forent

« in eo charitatis insignia, quod vere rosa vernans charitatis « ab omnibus dici valeret; quae adeo in ipso refulsit, ut non « fratres sibi subditos solum, cum provinciae praeesset vicarius, « paterno consolaretur affectu, sed etiam pauperes saeculares « ac ceteros omnes; tam munifica ejus in illos versabatur mi- « seratio tum corrigendo, tum adhortando, tum lucis exempla « monstrando, ut illecebris saeculi molimenta desererent Crea- « torisque sui vestigia sectarentur, quod merito D. Francisci « filius putaretur.

« Taceo autem quamplurima suae abstinentiae tempora, « taceo disciplinas divinaeque laudis solutionem mirificam, taceo « dulces lacrimas in orationibus effusas. Nam ut alter Petrus « fere semper, dum in cella clauso ostio moraretur, ante pectus « vel cucullum ob lacrimarum rivulos panniculum deportare « solebat. Orationem enim pro sorore et integerrimam casti- « tatem in sponsam elegerat, quarum odoribus non homines « tantum, sed et horum Dominus oblectatur.

« Nec servi sui hisce tantum dictis, sed et miraculorum « coruscatione Domino cura fuit; nam cum muti os crucis « signo Jesu nomine ab eo insigniretur, statim sine ullo linguae « impedimento ille verba promebat. Item quadam die iter « faciente cum socio ac simul disputantibus de evangelio de « duobus discipulis euntibus in Emaus, ei Dominus in peregrini « forma apparuit proponens respondensque ad evangelium ipsum, « ac subinde ab eorum oculis evanescens ipsos ingenti gaudio « replevit. O quam maxime divinis in rebus exercitatio operatur, « ut, quem ardenter corporeis oculis videre vir beatus optaverat, « cernere tandem ac contemplari contigerit! O te fortunatum « nimiumque beatum senem! quot quantisque lacrimis tunc, « cum orbis universi Creatorem et Rectorem atque humani « generis Redemptorem ea charitate tuis corporeis intueris

« oculis, prae nimio gaudio perfusus esse potuisti, qui talem
« meruisti refectionem tantamque consecutus es gratiam? totus
« (ut puto) in lacrimas prae veneratione solvebaris totusque
« prae divina contemplatione abstrahebaris; maximum profecto
« miraculum, ut, qui cuncta regit ac moderatur, tibi alloquens
« apparuerit. Necnon et cum quidam gravi morbo laboraret
« ita, ut recuperandae salutis spes omnis a medicis destituta
« esset, statim cum B. Bernardinus (brevi oratione praemissa)
« pectus ejus in Trinitatis ac Jesu nomine tangeret, pristinae
« restitutus est sanitati, nobis ut ille appareret exterius, qui
« uti gemma virtutibus plurimis fulgebat interius, quemad-
« modum rei exitus patefecit. Nam cum primum illius anima
« a sui corporis ergastulo est soluta, cum innumerabili ange-
« lorum agmine ad coelestem aulam est delata, quam sic glo-
« riosam suorumque bonorum operum fructum colligentem vidit
« *B. Vincentius Aquilanus;*[1] de quo saepissime dicebat: "Ego
« B. Bernardino Fossano me quotidie commendo, sicut aliis
« sanctis vitae aeternae, ad quam roget Dominum, ut sua
« pietate me perducere dignetur."

« Quamobrem adhuc virgo senectute penitus confectus in
« D. Juliani primo vetustissimoque minorum prope Aquilam
« coenobio suum spiritum Deo reddens sepultus est. Cujus beatum
« corpus non longe post, nempe cal. dec. 1515 tertia sequentis
« diei nocte, furtim a quodam patre sublatum ad *D. Angeli*
« *intrà Fossam et Ocram* coenobium proximo die dominico de-
« latum est, atque proximiori die ab eodem illa beata ossa lota
« sunt. Anno vero subsequenti pridie cal. maji 1516 in Ascen-
« sionis vigilia hora vesperarum intus sacrum altare majus in

[1] B. Vincentii Aquilani mortui Aquilae 1501 cultum approbavit Pius IX, festumque agitur die 6 sept.

« lapidea arcula pie ac honorifice condita hucusque clauduntur; « supra cujus altaris dexteram erecta tabula tum beati viri « effigies, tum miracula ipsa indicat, quae nos olim, ut cujusque « memoriae tenaciter inhaererent, his paucis versiculis, quos « hic etiam repetere non pigebit, utcumque perstrinximus:

« *Ad Bernardinum gressus teneatis orantes,*
« *Qui poterit nobis conciliare Deum.*
« *Nam quem destituit medicorum concio, sanat*
« *Et cruce dat muto plurima rite loqui.*
« *Obviat inque via Christus peregrinus eidem,*
« *Ad coelosque choris evolat angelicis.*
« *Vidit enim noster Vincentius ipse beatus*
« *Ad coelos animam convolitare suam.*
« *Huc igitur propera, coeli qui regna peroptas*
« *Scandere et aeternum pace manente frui.* »[1]

Eadem fere alio modo et verbis concisis leguntur apud Marcum Ul. l. c., qui addit beatum per decem annos suae provinciae vicarium praefuisse ac semel et iterum a populo Aquilano episcopum postulatum ac a pontifice nominatum humiliter episcopatum recusasse.

Quos duos auctores omnes sequuntur, quotquot B. Bernardini vitam scripserunt, praeter fr. *Hugonem a Pescocostanzo,*[2] qui etiam *alias* collegit notitias et praesertim beati scripta diligenter adhibuit et vitam beati Bernardini plenius proposuit.

Nec Marcus Ul. nec Antonius Amicius indicarunt annos, in quibus B. Bernardinus familiae observantium in provincia

[1] Sequitur l. c. oratio Antonii Amicii ad beatum Bernardinum.
[2] *Vita del B. Bernardino da Fossa,* Neapoli (Accattoncelli), 1872.

D. Bernardini vicarius praefuit; hinc inter auctores recentiores major de hoc habetur diversitas sententiarum;[1] nec difficultatem omni ex parte solvit catalogus vicariorum hujus provinciae, quem fr. *Alexander de Ritiis Aquilanus* in suis chronicis anno 1497 compilavit,[2] quo inter alia dicit: « *Duodecimus* vicarius fuit fr. *Matthaeus de Narnia*... et stetit per *tres* annos usque ad annum 1455 de madio.

Tertius decimus[3] vicarius fuit fr. *Bernardinus de Fossa* electus anno 1458 per *tres* annos.

Quartus decimus vicarius fuit fr. *Nicolaus de Fara* electus in anno 1461 per *duos* annos.[4]

Quintus decimus vicarius fuit fr. *Bernardinus de Fossa* electus in anno 1463 per *unum* annum. » Et deinde:

---

[1] Fr. Hugo, l. c., pg. 27, dicit B. Bernardinum vicarium suae provinciae fuisse 1450-1458 et 1475-1477; fr. Marcellinus Cervone in *Compendio di storia dei Frati Minori nei tre Abruzzi* (Lanciano, 1893), indicat pg. 121 sqq. annos 1456-1459, 1463-1466, 1475-1477.

[2] De hac chronica et de aliis libris mss. fr. Alexandri de Ritiis, qui in archivo communali Aquilano habentur, plura videsis apud Cesare de Lollis, *Ricerche Abruzzesi* in *Bullettino dell'Istituto Storico Italiano,* 1887, num. 3, pg. 80 sqq. Chronica est codex cartaceus in-4°, scriptus circa 1500, fol. 695, quorum plura desunt. Praecedit « tabula sequentium in hoc volumine pertinentium ad ordinem fratrum minorum, praecipue illorum, qui de observantia nuncupantur; » unde jam patet error Hyacinthi Sbaralea, qui (*Supplementum et castigatio ad Scriptores trium ordinum S. Francisci,* Romae, 1806, pg. 21), auctorem ordinis min. *conventualium* fuisse dicit. Ad annos usque 1400 breves notitiae *minoris momenti* dantur, quibus inseruntur plura documenta; fol. 19r ex. gr. habetur *regula tertii ordinis,* quae est omnino eadem ac illa, quam Sabatier evulgavit (*Regula antiqua fratrum et sororum de poenitentia tertii ordinis S. Francisci,* Paris, 1901); fol. 85v *catalogus operum D. Bonaventurae;* fol. 94r sqq. *collectio bullarum ordinis* ad 13 numeros redacta; fol. 155r incipiunt *extracta ex libro Bartholomaei Pisani de conformitate B. Francisci cum Domino Jesu Christo.* Majoris momenti sunt ea, quae Alexander ad saeculum XV habet; praeter multa brevia et statuta notamus ea, quae de *S. Bernardino* (fol. 343r sqq. *processus canonizationis ipsius*) et *S. Joanne Cap.* agunt. Fol. 675r incipiunt varii *catalogi,* inter quos fol. 684v sqq. catalogus *vicariorum* provinciae S. Bernardini.

[3] Codex « tertius vicarius ».

[4] In margine codicis: « Quartus decimus vicarius fr. *Ludovicus de Penne* annis duobus. »

« *Vigesimus primus* vicarius fuit fr. *Bernardinus de Fossa* Aquilanus, electus in anno 1472 per *tres* annos.

Vigesimus secundus vicarius fuit fr. *Nicolaus de Fara* electus in anno 1475 per *tres* annos. »

Catalogi istius pars prior corrigatur oportet, et in ipso codice plures errores jam sunt correcti. Vacat imprimis periodus 1455-1458; at beatum Bernardinum hoc tempore vicarium fuisse testatur tum chronica ab ipso scripta, tum epistola, quam fr. *Joannes de Tagliacotio* 1461 ad S. Jacobum Picenum de obitu S. Joannis Cap. transmisit;[1] de ultimis huius diebus agens refert: « Quo tempore litteras receperat ex Italia multa sibi grata continentes; inter quas quidem litteras erant illae suavissimae et admiratione refertae venerabilis patris fratris Bernardini Aquilani, *tunc provinciae sancti Bernardini* dignissimi *vicarii,* continentes felicem obitum et quam plura mirabilia post ipsum obitum B. fratris *Philippi Aquilani,* qui de mense maji proximo praecedentis (1456) in civitate Sulmonae feliciter migravit ad Christum. »

Capitulo 17 chronicae ad annum 1454 beatus Bernardinus dicit: « Hisce temporibus *prima vice* in loco sancti Nicolai prope civitatem Sulmonis fui vicarius electus ad hujus nostrae provinciae sancti Bernardini regendam familiam; » anno vero 1458 in illo officio ipsum adhuc stetisse apparet ex eo, quod capitulo generali illius anni interfuit. Quare haec jam proponere licebit: Fuit vicarius suae provinciae 1454-1457; denuo electus 1457-1460;[2] tertia vice 1463-1464, quo anno missus est in

---

[1] Cf. WADD., l. c., ad annum 1456, n. LXXXIV, et *Acta SS.* oct. x, pag. 395, n. 394.

[2] Ex epistola fr. Joannis de Tagliacotio scripta 10 febr. 1461 (qua dicit: « *tunc* provinciae vicarii ») deducere licet, b. Bernardinum tempore, quo epistola est scripta, non fuisse vicarium.

Bosnam; tandem 1472-1475; id est per *decem* annos, sicut retulit fr. Marcus Ul.

Secundum plures praeterea ejusdem provinciae vicarius extitit 1475-1477;[1] frater Alexander vero hoc tempore fratrem Nicolaum de Fara vicarii munere functum esse refert, quod omnino plura documenta confirmant, quae in « *Registro vicariorum generalium* » exstant.[2] Fol. 59ᵛ ex. gr. habetur « obedientia pro aedificio loci Aquilae » fr. *Francisco de Paulo de Aquila* laico ord. min. a vicario generali Petro Neapolitano die 7 aug. 1476 Aquilae data, qua dicit: « Multis elapsis annis per reverendissimum fr. Jacobum de Marchia ex quadam commissione a summo pontifice sibi facta aedificio sancti Bernardini Aquilae praefectus es et anno elapso iterum confirmavit. Sed ad pacem et tranquillitatem conscientiae et mentis mihi renuntiasti praesentibus fr. *Nicolao de Fara, hujus provinciae S. Bernardini vicario*, fr. Ludovico de Aquila, fr. *Bernardino de Fossa*..., qui omnes fuerunt dictae provinciae vicarii. »[3]

Restat, ut dicamus beato Bernardino a sua sancta morte (27 nov. 1503) usque ad nostra tempora, imprimis inter suos cives, solemnem cultum esse exhibitum, quem Leo XII die 26 martii 1828 approbavit; festumque ipsius in ordine fratrum minorum die 7 nov. peragitur.

---

[1] Fr. Hugo, l. c., pg. 71; fr. Marcellinus, l. c., pg. 123.

[2] Habetur inter paucos codices, qui ex antiquo ordinis archivo in archivum Vaticanum translati sunt (Ant. sign. *Arm.* II, *n.* 23); fol. 49ᵛ « *incipit officium reverendissimi patris fratris Petri Neapolitani 1475 Neapoli electi.* »

[3] Alio documento (fol. 90ʳ) die 22 julii 1482 Aquilae dato « fr. Bernardinus de Fossa » pariter inter testes nominatur.

§ 2. — De scriptis B. Bernardini.

Beatus Bernardinus praeter plures aliorum auctorum libros transscriptos[1] plura ipse — imprimis in ultimo vitae suae spatio — composuit opera, quorum catalogum hoc loco ponendum censuimus.

A) SERMONES.

I. CENTURIO.

Codex autographus[2] membr. et cart. in-4°, scriptus duplici columna charactere minutissimo, fol. I-IX, 1-350; habetur in bibliotheca S. Marci *Veneta (Z. L.* LXXXIX *Bess.)*; fol. III legitur: « Pertinet ad locum *S. Angeli de Ocra,* et fuit fratris Bernardini de Fossa ord. min. de observantia, » et fol. 350: « Completus fuit liber isté in loco S. Nicolai prope Sulmonam die 26 sept. 1486. »[3]

Prooemium incipit: « Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum viso terraemotu et his, quae fiebant, timuerunt valde dicentes: vere filius Dei erat iste » (Matth., 28, 54); eodem loco dicit: « Centurio a centenario dicitur, et quia hoc

[1] Pluribus a diversis jam indicatis hujusmodi libris addimus codicem VII. G. 15. bibl. *nationalis Neapolitanae* (21×15, saec. XV, fol. 367), scriptum et ligatum simili modo ac cod. VIII. C, 12 ejusdem bibliothecae, de quo infra sub B. I. Inter alia continet scripta sanctorum Anselmi, Bonaventurae, Bernardi ac Augustini.

[2] Plura habentur propria beati Bernardini manu scripta; ad specimen praebendum adjecimus imaginem fol. 279[r] cod. *Z. L.* CXLIII *Bess.* bibliothecae *S. Marci Venetae,* quo leguntur verba: « Ego frater Bernardinus Aquilanus de Fossa ordinis minorum complevi scribere hanc tabulam manu propria et festinanter in loco sancti Andreae prope civitatem Theatinam in vigilia sancti Francisci, quando terribiliter ningebat, anno Domini 1462. »

[3] Cf. VALENTINELLI, *Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum,* t. II (Ven., 1869), pg. 155, et fr. HUGO, l. c., pg. 113.

volumen duos centenarios sermonum continet, merito centurio vocari potest et, ut vocetur, decerno. » Sunt 100 sermones de *tempore* et 100 de diversis materiis, quibus additur sermo non numeratus de S. Trinitate. Sermo 200 agit de passione Domini; et hinc Waddingus autumasse videtur, *Centurionem* « in memoriam passionis Christi » esse compositum.[1]

Tres prioris centurionis sermones de matrimonio impressi habentur sub titulo « TRACTATUS DE NUBERE VOLENTIUM DOCTRINA » in tomo IX *Tractatus universi juris illustrium in utraque tum pontificii, tum caesarei juris facultate juris consultorum* (Venetiis, 1584), fol. 113.[2]

II. De quolibet statu fidelium.

In codice autographo membr. et cart. in-4° duplici columna charactere minutissimo scripto, qui habetur pariter in bibliotheca S. Marci *Veneta (Z. L.* CXLIII *Bess.)*, fol. 1-216.[3]

Prooemium exorditur a verbo Domini: « Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne pereant, » et argumentum libri indicat verbis: « De quolibet fideli saltem in genere multa continet, sive fidelis vivat, sive moriatur, sive jam in gloria existat, » quo tres libri partes indicantur.


Pars prima vocatur « de statu fidelium *laborioso*, quia in illo multa tractantur de *vitiis* et *virtutibus*, in quibus magnus labor existit; » continet 52 sermones pro tempore a dominica Septuagesimae usque ad feriam tertiam Resurrectionis (*Quadragesimale*).

---

[1] *Scriptores ordinis minorum*, pg. 54.

[2] Probabiliter cura Antonii Amicii. Sermones in cod. ms. extant fol. 46, 102, 103; exponuntur tria *motiva* nubendi (necessitas, moralitas, utilitas), tria *requisita* (puritas, maturitas, solemnitas), tria *vitanda* (cupiditas, sensualitas, malignitas).

[3] Cf. VALENTINELLI, l. c., pg. 156, et fr. HUGO, l. c., pg. 115. Prior codicem vocat *Quodlibetum Scholasticum;* continet inter plura alia nonnulla *B. Raymundi Lulli* opera a beato Bernardino transscripta.



ROMA · FOTOT. DANESI

Pars secunda dicitur « de statu fidelium *periculoso*, quia punctus mortis est periculosus, uti experientia docet; » sunt 40 sermones de *mortuis* (fol. 104-126). In exordio dicit: « Cum plerique fratres minores me saepius incitaverint, ut pro praedicatione ad funera sermones aliquos ordinarem, eo maxime, quia in nostra civitate Aquilae saepissime ad ea praedicare contingit, eorum inclinatus sum precibus rem ipsam aggredi. » Hanc partem Amicius 1572 sub titulo evulgavit FUNERALE.

Pars tertia « de statu fidelium *glorioso* » (fol. 128-216) 53 sermones de *sanctis* continet, quorum ultimus de S. Bernardino Senensi.

III. PEREGRINUS.

In lucem prodiit Venetiis circa 1573, in-12°, fol. 66, cura Antonii Amicii.[1] Fol. 1 auctor rationem operis exhibet dicens: « Cum diu desideraverim habere tractatulum unum de sermonibus brevibus et compendiosis, qui esset meus familiaris et socius, cogitavi imponere nomen peregrinus; » sunt 25 sermones breves, quas auctor ipse « diaetas » vocavit, quorum primus agit de peregrino et ultimo de ingratitudine. Librum composuit beatus Bernardinus 1498, postquam apparuit ipsi Redemptor in forma peregrini, sicut vita narrat.

IV. SERMONES DIVERSI.

Codex autographus cart. in-4°, scriptus duplici columna charactere minutissimo, fol. I-X, 1-274, ex quibus plura desunt; servatur in archivo communali *Aquilano* sub num. 11 inter codices translatos ex conventu *S. Angeli de Ocra*.[2] Fol. III^v manu

[1] Cf. fr. HUGO, l. c., pg. 127: « Ne ho presso di me una sola copia del nostro convento di S. Nicola in Sulmona, che manca del frontispizio; » quare annum, quo prodiit, indicare haud possumus.

[2] Cf. fr. HUGO, l. c., pg. 122 et CESARE DE LOLLIS, l. c., pg. 80 sqq.

alia scriptum legitur: « Questo libro è tutto scritto a mano dal beato fra Bernardino di Fossa; » fol. v^r: « Questo libro fu trovato da me fra *Giacinto da Introdacqua* nella nostra libreria di *Castel-Vetrano* in Sicilia, e con sommo stento lo ripigliai dalle mani di quel bibliotecario, il quale m'attestò che l'anno scorso gli era venuto da Venezia con altri libri » etc.; fol. v^v: « Perlegi ego Antonius u. j. d. minimus de Fossa hujus beati patris Bernardini de Fossa itidem ex fratre pronepos opus hoc et pluries suspiravi et nonnullas lacrimas effudi, cum tot bona et sancta dicta hic considerarem annotata, quae jam conscripta et exemplata perfecta erant et ordinatissime in alio libro, dicto nempe *Quodlibetum* vel *Centurio* » etc. In ultimo folio (274^v) plura habentur manu beati Bernardini annotata, quorum primum dicit: « Corpus beati *Ricci de Tuderto* ordinis minorum jacet in conventu sancti Francisci de *Aylono*, et jacet ut ajunt juxta altare maius; et est ibi populi devotio, ita scivi anno 1459 in festo sancti Andreae; » ibidem eadem manu: « Anno Domini 1464. »

Continet codex 154 sermones vel potius sermonum dispositiones de diversis materiis. In coperculum postea scripserunt: « *Quadragesimale* », quod materiae haud congruere jam tituli primorum sermonum edicunt; agunt « de Virgine gloriosa secundum dicta Dantis, — de verbo Dei, — de impedimentis omnium bonorum, — de jejunio, — de ludo, — de peccato in communi, — de honore parentum, — de pace, — de passione Domini, — de resurrectione Domini, — de quocumque sancto, — de abdicatione saeculi, — de obedientia, — de oratione » etc.

Primus sermo, cuius principium deest, in lucem prodiit Aquilae et Florentiae:

« *Un sermone del B. Bernardino Amici da Fossa sulla Vergine gloriosa* secundum dicta Dantis; » ed. *Leosini*, Aquilae 1865;

et « *Beati Bernardini de Fossa super laude ad beatam Virginem* in 33. Cantico Paradisi Dantis Alighieri, » Flor., 1896.

V. De Floribus.

In codice, quo habentur sermones « de quolibet statu fidelium, » sequitur fol. 218-223 « *Tractatus praedicabilis intitulatus de Floribus. Liber primus.* » Est incompletus, tres soli habentur sermones, quorum duo de bonis operibus agunt, tertius de dilectione inimicorum.[1]

B) OPERA HISTORICA.

I. Chronica Fratrum Minorum de observantia.

Codex autographus cartaceus in-4° (24 × 15), habet 20 folia duplici columna charactere minutissimo scripta; servatur in bibliotheca *nationali Neapolitana* (VIII C. 12).[2] Codex est *anonymus*, at pluribus locis aperte auctor manifestatur. « Beatus Jacobus mihi habitum religionis dedit in civitate Perusii, » ait auctor chronicae cap. 6; ibidem: « Vitam beati Philippi de Aquila notavi in sermone vulgari; » cap. 7 legimus: « De quibus scripsi in *Centurione;* » cap. 17: « Electus fui vicarius hujus provinciae S. Bernardini; » cap. 29: « Tabula legitur, in qua inter alia dicitur: " Frater Bernardinus de Aquila vicarius provinciae Bosnae et Dalmatiae; " quod cum audissem, in magna fui tribulatione constitutus; » quae omnia et soli B. Bernardino Aquilano conveniunt.

Nec desunt testimonia aliorum. Fr. *Marianus Florentinus*,

[1] Cf. fr. Hugo, l. c., pg. 118.
[2] Adjecimus imaginem paginae primae codicis.

qui eodem fere tempore suam scripsit chronicam, adhibuit chronicamB. Bernardini, quod testatur *Haroldus* in Vita fratris *Alberti Sarthianensis* hisce verbis: « B. Bernardinus Fossensis, alias Aquilanus, in suis Chronicis apud Marianum Florentinum: « Erat frater Albertus peritissimus, etc. »[1] quae hic ex chronica B. Bernardini citantur, in capite 9 chronicae nostrae ad verbum habentur. Frater *Marcus Ulyssiponensis* in tabula auctorum, quam parti III chronicarum praemisit, ponit: « Fra Bernardino da Fossa, che compose un libro delle chroniche dell'osservanza; » quia vero chronicam in catalogo operum ipsius beati omisit nec unquam citavit, chronicam solum ex Mariano cognovisse videtur; quod idem de *Waddingo* valet, qui chronicam haud habuit et pro iis, quae ex illa in suis annalibus leguntur, Marianum allegat testem. De capitulo generali anni 1455 loquens Waddingus nominat « fr. Bernardinum de Fossa, scriptorem hujus historiae, » quapropter Sbaralea huic attribuit *historiam revocationis bullae Eugenianae;* quae historia non est nisi pars chronicae nostrae.

Unicum hucusque habetur chronicae exemplar, quod est mutilum et desinit in cap. 32, anno 1469. Hinc nescimus, quando sit scripta et quousque continuata; aliquo tamen modo juvant notitiae quaedam, quas ipsa chronica exhibet; cap. 27 de fr. *Gabriele de Verona* dicitur: « Qui nunc sanctae Romanae ecclesiae reverendissimus cardinalis existit; » fr. Gabriel Rangone de Verona promotus est ad purpuram die 10 dec. 1477 et die 27 sept. 1486 obiit.[2] Cap. 5 legimus: « *Paucis* annis elapsis in provincia *Basilicatae* coepimus construere loca; » prima initia facta sunt a cap. generali 1471 celebrato, quo statutum

---

[1] HAROLDUS, *B. Alberti a Sarthiano vita et opera* (Romae, 1688), pg. 87.
[2] EUBEL, *Hierarchia Catholica medii aevi,* II (Monasterii, 1901), pg. 19.

est, « quod mittatur aliquis probus pater, qui explorat illas terras, quae sunt inter Apuliam et Calabriam et Terram Laboris, et si videbitur, quod fiat nova provincia, capiant ibi loca; »[1] prima vero loca in illa regione secundum Gonzaga 1474 et 1475 capta sunt; quare chronicam circa 1480 scriptam esse apparet.

II. Vita Ven. Philippi Aquilani.

Hoc opus lingua italica scriptum evulgavit fr. Hugo 1870: « *Vita del venerabile p. fr. Filippo dell'Aquila* scritta nell'anno 1456 dal beato *Bernardino da Fossa,* amendue Minori Osservanti della Provincia di S. Bernardino negli Abruzzi, data per la prima volta in luce e corredata di alcune note dal p. fr. *Ugone da Pescocostanzo.* Roma, coi tipi della S. C. de Propaganda Fide. »[2]

III. Provinciae B. Bernardini Coenobia.

Opusculum hoc evulgavit Antonius Amicius in appendice *Funeralis;* et huic volumini pariter in appendice post chronicam inseritur.

IV. De Conventu S. Angeli de Ocra.

In codice bibliothecae S. Marci Venetae, de quo secundo loco egimus, fol. 233 sqq. breviter 29 paragraphis narrat beatus Bernardinus lingua vulgari: « *In que modo lo loco de sancto Angelo de Ocra è venuto alle mani de' Frati Minori chiamati observanti.* » Conventum anno 1242 pro monialibus a comitissa de

[1] Cf. *Registrum vicariorum generalium,* l. c., fol. 99r.

[2] Ex codice saec. XVI, qui antea in conventu S. Nicolai de Sulmona, nunc in *archivo postulationis generalis ord. fr. min.* asservatur. Deest in hoc codice *prologus,* quem idem fr. Hugo, ex codice autographo *Z. L.* CXLIII *Bess.* Veneto pluries jam citato evulgavit in *Vita del B. Bernardino,* pg. 121.

Ocra fundatum et post ducentos annos desertum anno 1481 a fratribus familiae observantium captum esse refert; explicit fol. 236ᵛ: « Questa è tutta la ystoria come sè avuto et edificato lo loco de sancto Angelo de Ocra. Deo gratias. Amen. »

C) OPUSCULA VARIA.

I. ADMONITIONES VITAE SPIRITUALIS.

Opusculum hoc lingua vulgari scriptum in lucem Venetiis 1572 prodiit cura Antonii Amicii « *Ammonitioni del beato Bernardino Aquilano da Fossa nell'anno 1491 composte e dal M. Antonio D'Amici suo quarto nipote nell'1572 primamente in luce mandate. Stampate in Venezia per Jacomi di Vidali e compagni.* »[1]

Est brevis catechismus, quo beatus Bernardinus agit de articulis fidei, quos quilibet scire debet, de oratione *Pater noster* ac de praeceptis Dei et ecclesiae, quo loco fusius de confessione.

II. Codice ms. pluries nominato, fol. 229-231, habentur DUAE QUAESTIONES, quarum prior: « *Quomodo liceat procuratori fratrum minorum recipere pecunias, quae offeruntur in sepultura, ubi corpus S. Bernardini requiescit, et in utilitate fratrum vel aliorum expendere?* » altera: « *Utrum fratres eremitani S. Augustini sint fratribus minoribus praeferendi vel e contra?* »[2]

Prima incipit: « Casus talis est. Corpus S. Bernardini or-

---

[1] Fr. HUGO, l. c., pg. 126: « Di quest'opera citata dai biografi del Beato e nei processi fatti per la conferma del suo culto, non posso dir nulla...; non mi è venuto fatto di trovarla. » Exemplar opusculi habetur in bibliotheca *Vaticana*.

[2] Cf. fr. HUGO, l. c., pg. 118.

dinis minorum requiescit in sepultura per crates ferreas undique clausa, » et explicit: « Praedicta scripsi ad hoc, ut conscientiae nostrae in bona pace remaneant. » — Altera incipit: « Primo videtur, quod nomen debet esse conveniens rei; » pluribus argumentis ostendit fratres minores esse praeferendos, solvit obiectiones ac finit: « Haec scripsi, quia quandoque reperi me in talibus contentionibus, plerique vero in hoc puncto claudicant. »

Marcus Ul. et Antonius Amicius referunt beatum Bernardinum *vitam S. Bernardini Senensis* in lingua *vulgari* scripsisse; ad quae *Sbaralea:* « Vitam eam esse puto, quam dederunt Act. SS. continuatores Bolland. die 20 maji ex ms. conventus Aquilani sine nomine autoris; »[1] at vita haec scripta est in lingua *latina*, et auctor ipsius est frater *Ludovicus Vicentinus*, quod ex epistola patet, quam ipse auctor cardinali *Gabrieli* transmisit.[2] Anno 1464 beatus Bernardinus in suo opusculo *Provinciae D. Bernardini Coenobia* de S. Bernardino Senensi agens scripsit: « De cujus vita et miraculis atque eximia praedicatione nihil dicere praesumo, quoniam plerique excellentioris ingenii viri illius vitam describere nixi sunt, famaque ipsius per universum orbem diffusa augetur. » In cap. 6 chronicae vero loquens dicit: « De hoc viro non alia. Qui miracula et vitam et sanctitatem ejus vult latius intueri, pergat Aquilam et suae canonizationis processus aspiciat. » Hinc fr. Hugo jure dubitat, num beatus Bernardinus vitam illam scripserit;[3] nec vestigium aliquod illius hucusque detectum est.

[1] SBARALEA, l. c., pg. 126 et 66; cf. *Acta SS.* (ed. 3a) maji v, pg. 93-102; incipit « Magnum nobis diebus istis novissimis ».

[2] Cf. Cod. VII. *G.* 59 (s. XV) bibl. *nation. Neapolitanae,* quo medio exstat vita et in fine vitae epistola illa, et AMADIO LUZZO, *Vita di S. Bernardino da Siena* (Ven., 1744), praef. 2v-3.

[3] L. c., pg. 133; pg. 132 agit de verbis, quae habet PETRUS RODULPHIUS TOSSIN.,

§ 3. — De materia et utilitate chronicae.

1. Beatus Bernardinus scripturus origines et acta familiae regularis observantiae optime orditur a « quibusdam bonis fratribus, qui voluerunt se separare, ut possent regulam melius observare, sed tamen facere non potuerunt. »[1] Verbis ambiguis loquuntur, qui simpliciter initium regularis observantiae in anno 1368 reponunt; observantia regularis coepit cum ipsa regula, nec unquam ex ordine omnino evanuit; semper fratres in ipso vixerunt, qui regulam suam fideliter observarunt,[2] semper praesertim fuerunt fratres, qui hunc in finem vitam *eremiticam* a S. P. Francisco enixe amatam colere quaesierunt. Vita haec, quae primis temporibus ordini tot protulit viros sanctis et magnis operibus praestantes, decursu temporis neglecta pluribusque ordinis praelatis exosa novum accepit incrementum per fratrem *Paulutium de Trincis,* qui anno 1368 licentia superiorum munitus abiit in eremum *Brulliani* ibique cum sociis regulam perfecte servavit. Mox alia ipsis concessa sunt eremitoria, numerus « fratrum devotorum simplicium » crevit, et

---

Historiarum religionis seraphicae libri tres, fol. 91: « Testatur ipse (beatus Bernardinus) in *Libello Spicarum,* quod nomen Bernardini ei fuit impositum a b. Jacobo de Marchia, et quod ab ipso b. Jacobo suscepit habitum, dum Perusiae ad populum sacras conciones haberet. » Sbaralea, l. c., pg. 126 ad haec: « Forsan est brevis historia provinciae; » at in illa haec verba haud leguntur; nescimus, quid sit iste *Libellus Spicarum.*

[1] Bene hisce de rebus scripsit Ehrle in *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters,* t. I-IV (1885-1888).

[2] Cf. epistolam, quam *S. Bonaventura* 23 apr. 1257 ad ordinem scripsit; post defectus fratrum enumeratos dicit: « Reperiuntur autem plurimi, qui non sunt culpabiles in aliquo praedictorum » (*Opera omnia* — ed. ad Claras Aquas — t. VIII, pg. 469).

plures sanctiorem vitam anhelantes ex saeculo et conventibus ad erema convolarunt.

Quo modo coepit *familia* regularis observantiae et divisio illa ordinis, quae ab Eugenio IV ampliata, tandem saeculo decimo sexto absoluta evasit.[1] Divisio 1368 coepta primum non fuit nisi divisio *localis*, fratres de conventu et de familia sub uno eodemque generali iisdem provincialibus obedierunt, qui fratres de familia per suos vicarios vel commissarios gubernabant.[2] Frater Paulutius nec nova statuta condidit, nec novam vivendi formam in ordinem induxit; ipse renovavit et propagavit eremitoria,[3] et haec eremitoria fuerunt fermentum et produxerunt illos viros, qui saeculo XV majorem ordinis partem renovarunt et ecclesiam Dei verbo et exemplo aedificaverunt.

« In illis principiis mitiores et gratiosiores erant fratres conventuales cum fratribus familiae, quam postea. » Non defuerunt quidem difficultates. « Ad nostrum nuper auditum — scribit Gregorius XI 22 junii 1374 — non sine perturbatione pervenit, quod quidam ministri provinciales, custodes et officiales alii ordinis fratrum minorum Romanae et sancti Francisci provinciarum, secundum morem dicti ordinis invidia typo ducti, dilectos filios fratres ejusdem ordinis in certis locis solitariis earumdem provinciarum commorantes... persequi non

[1] Minus accurate nonnulli divisionem ordinis jam a Leone X 1517 absolutam esse statuunt; Leo X decrevit, ut minister generalis ex observantibus eligeretur, ipsique *magistrum generalem* fratrum minorum conventualium subjecit eodem modo, quo ex tempore Eugenii IV vicarii generales observantium subjecti erant ministro generali ordinis; EUBEL, *Geschichte der oberdeutschen Minoriten-Provinz* (Wirceburgi, 1886), pg. 60 dicit bene: « Das Verhältniss blieb so ziemlich in gleichem Zustande, bis es im Jahre 1517 fast ins Gegentheil umschlug ».

[2] Cf. chronicae cap. 7.

[3] Hoc modo opus suum differt ab initiis familiae observantium *Galliae;* de quibus cf. EUBEL, *Die Avignonesische Observanz der Mendikanten-Orden* (Paderbornae, 1900), num. 1102, 1146, 1150, 1152.

formidant in divinae majestatis et nostram offensam ac scandalum plurimorum.»[1] Plura mox a praelatis ordinis emanata decreta fratribus pacem et quietem reconciliarunt. In illis principiis inter fratres in eremitoriis viventes pauci fuerunt sacerdotes; «relatum mihi fuit — ait B. Bernardinus, — quod in loco de Fonte Palumba et in loco Grecii et in loco Podii de Bastone erat tantum unus frater sacerdos;»[2] quam ob causam oculos hominum et multas difficultates effugerunt.

«*Sanctus Bernardinus de Senis fuit primus frater nostrae familiae, qui sibi famam praedicationis fecerit singularem.*»[3] «Mirabilia fecit in vita sua, praedicatorum primus et exemplar... maxima et stupenda gesta, divina potius quam humana, operatus est Deus per illum.» Cum suis discipulis totam Italiam permeavit et familiam pontificibus et principibus, municipiis et populo mirabiliter commendavit. «Apostolicam vitam sub regula seraphici ducis Francisci in extrema paupertate jam fere perditam et extinctam iste vir Dei verbo et exemplo revivificavit, suscitavit et cum magna familia ampliavit, adeo quod ultra trecenta monasteria intra fines Italicos construxit et reformavit Dei gratia illi opitulante,»[4] quod plures, qui extra ordinem scripserunt, eo deduxit, ut S. Bernardinum patrem et fundatorem familiae observantium declararent.

Opus S. Bernardini continuavit et auxit *S. Joannes Capistranus*. Cum numero familiae crescente creverunt adversarii,

---

[1] Cf. EHRLE, l. c., t. IV, pg. 184.

[2] Cap. 7, pg. 24.

[3] Cap. 6, pg. 18.

[4] LEONARDUS SENENSIS (*Benvoglienti*), in vita S. Bernardini Senensis (ed. Fr. VAN ORTROY, in *Analecta Boll.*, t. XXI, 1902), pg. 75 et 78. Cf. VESPASIANO BISTICCI, Virorum illustrium CIII qui saeculo XV extiterunt, vitae (*Spicilegium Rom.*, ed. MAI, t. I, Romae, 1839), pg. 248, et F. ALESSIO, *Storia di S. Bernardino da Siena e del suo tempo*. Mondovì, 1899.

utriusque partis culpa exortae sunt difficultates et contentiones, quas pontifices diversis modis e medio tollere studuerunt, et hoc meritum S. Joannis Cap. laudat chronista noster, quod « *fuit maximus defensor et conservator familiae; hic bonus homo puto quod per 25 annos continuos familiam rexit,* »[1] ejusque consiliis per hosce annos pontifices in rebus ordinis praeprimis steterunt.

Martinus V, ut conventuales reformaret, per S. Joannem Cap. novas et utrique parti communes dedit constitutiones, quas conventuales acceptarunt et statim reliquerunt. *Eugenius IV,* speciali amore familiae addictus, qui « in tutta la terra della Chiesa, dove egli potè, mise l'osservanza, »[2] fratrem *Albertum Sarthianum,* filium familiae, toti ordini *vicarium generalem* praeposuit, cumque tempore capituli generalis Patavini « munivit litteris et gratiis opportunis putans, quod de talis viri praelatione totus ordo contentus existeret; » at capitulum conventualium hanc provisionem rejecit. Quare S. Joannes Cap. adivit papam, « quatenus libeat de remedio opportuno providere, » et papa post maturam deliberationem consilio ipsius sancti obsecutus familiae Italiae proprium dedit *vicarium generalem,* qui eam sub ministro generali cum plena potestate gubernaret.[3] Quae provisio Eugenii IV fuit « causa multorum jurgiorum, » et conventuales omnem lapidem moverunt, ut eam derogarent.

Hisce temporibus vixit in ordine B. Bernardinus Fossanus fuitque vicarius provincialis et commissarius generalis in curia Romana, et haec sua tempora turbulenta illaque jurgia sua chronica describit. Capitula generalia illis annis peracta, labores a conventualibus apud Nicolaum V contra bullam Eugenii

---

[1] Cap. 6, pg. 20.
[2] Bisticci, l. c., pg. 11.
[3] Eodem modo, quo ex concilio Constantiensi regebatur familia Galliae.

suscepti, mutatio bullae sub Calixto III ac renovatio ipsius sub Pio II, haec a chronista vivis coloribus depinguntur. In narrandis fatis, quae familia Italiae ante ipsum habuit, non multum moratur et tacet omnino de altera familiá; « de ultramontanis partibus, in quibus etiam observantia relevata fuit, quo tempore et a quo sumpsit exordium, notitiam non habui, nec hactenus habere quaesivi » (cap. 5). Familia Galliae paulo post familiam Italiae exorta et a sede Avenionensi promota a concilio Constantiensi jam proprium acceperat vicarium; utraque familia eamdem habuerunt radicem et finem, at diversos auctores et historiam diversam. Alia chronista interserit, prouti occasio et materia ferunt; plura praeprimis de provinciis Bosnae et Dalmatiae refert, quas *causae politicae* illis temporibus multum perturbarunt.

« Plurima novi — inquit in prologo — quia praesens fui, vidi, audivi et secundum paucitatem ingenii mei bene consideravi; illa narrabo seriosius, secundum quod Dominus meus mihi gratiam ministrabit; » alia refert, « prout narrata fuerunt. » « Veritatem pandere volui stilo rustico; » pluries reapse deserit constructionem, idem aliquoties repetit; at haud deest multis locis stili elegantia, et imprimis omnia sapiunt sincerum veri amorem. Fuit quidem inter duces partis suae suamque causam strenue defendit, at ubique se exhibet cautum et veracem; « nemo putet me esse mendacem... magna foret caecitas mea, si, unde lucrari cupio, inde mentiendo peccarem. » Liber ubique sanctitatem scriptoris commendat.[1]

2. Post materiam et indolem chronicae expositas pauca de ejus utilitate adiungamus oportet, ad quam ostendendam rela-

[1] Nonnulli irrepserunt errores vel lapsus calami, quos in notis indicavimus, in ipso textu vero correximus.

tionem hujus chronicae ad alias ejus temporis chronicas illustramus. Eodem tempore, quo beatus Bernardinus suam historiam scripsit, in ordine minorum inter fratres observantes plures chronicae ortum habuerunt; tempora illa gloriosa et facta praeclara ubique fratres ad memorias conservandas excitarunt, ex quibus tres hoc loco speciali memoria digni sunt: *Jacobus Oddi Perusinus, Nicolaus Glassberger, Marianus Florentinus.*

Jacobus Oddi Perusinus circa annum 1480 lingua vulgari scripsit « *Specchio dell'ordine minore,* » quo « recenset omnes viros sanctos et illustres, qui in ordine floruerunt; »[1] de qua re beatus Bernardinus capite 6 pauca solum notavit, « sperans, quod divina bonitas aliquem virum bonum et doctum inspirabit, qui ad gloriam Dei et posterorum consolationem vitam eorum longiori sermone describat. » Nicolaus Glassberger ineunte saeculo XVI pretiosam suam composuit chronicam, quae praeprimis familiam ultramontanam ejusque provinciam Argentoratensem respicit.[2] Qui duo auctores hoc modo optime chronicam nostram supplent.

Eamdem ac chronista noster materiam tractat Marianus Florentinus,[3] cujus *Fasciculus chronicorum* Waddingo, sicut ipse testatur, « magno fuit adjumento annalibus scribendis;[4] » in

---

[1] Cf. Wadd., *Scriptores,* pg. 184 et *Miscellanea Franciscana,* t. IV, pg. 87; ibidem, pg. 127, testimonium anni 1574, quo fr. *Aegidius Perusinus* auctor esse dicitur.

[2] Cf. *Analecta Franciscana,* t. II (Ad Claras Aquas, 1887).

[3] Marcus Ul., p. III, l. 9, cap. 23, de ipso refert: « Questo buon Padre, come zeloso dell'honore della casa di Dio e della santa Religione del Padre San Francesco, peregrinò per tutta Italia, cercando le memorie notabili della vita, et opere de' Santi Religiosi e Religiose dell'Ordine, *particolarmente dell'Osservanza,* e le notò con molta diligenza: e perchè à ritrovare queste cose egli non uscì fuori d'Italia, nè si trovò, chi havesse questo zelo in altre parti, perciò *sono poche le memorie degli Osservanti Oltramontani.* » — Cf. de fr. Mariano eiusque operibus Sabatier, *Fratris Bartholi Tractatus de indulgentia de Portiuncula* (Paris, 1900), pg. 137 sqq.

[4] *Scriptores,* pg. 249. — Qui tres auctores fuerunt ex familia observantium; pro

narrandis factis familiae Italiae praeter regesta Vaticana et acta generalium saepius sequitur Marianum. Quosnam vero ipse Marianus adhibuerit fontes, inquirere haud possumus, quia ejus chronica hucusque desideratur, Waddingus vero ipsam non verbotenus, sed solum quoad sensum citare solet. Ex paucis, quae supersunt, particulis tamen certo constat, ipsum pluries chronicae beati Bernardini usum fecisse. Haroldus, Waddingi discipulus et biographus, in vita fr. Alberti Sarthiani ex Mariano partem affert, qua ipse Marianus expresse chronicam nostram citat; et continuatores Bollandi ex Mariano vitam beati Herculani Perusini desumpserunt, qua plura ad verbum chronicae nostrae conveniunt.[1] Unde explicare possumus magnam similitudinem illam, quae multis locis inter chronicam nostram et Waddingum habetur; historia ex. gr. capituli generalis Mediolanensis (1457) apud utrumque eodem modo narratur.[2]

parte conventualium cf. BENOFFI, *Compendio di Storia Minoritica;* finitum 1764 prodiit Pisauri 1829.

[1] *Marianus* in *Acta SS.* maji VI, pg. 849: « Unde semel in die sancto Veneris Aquilae praedicans ad tantum planctum populum excitavit, ut voces emitteret ad astra. Cum vero tota fere praedicatione ita amare et cordialiter flevissent, quaedam nobilis domina Maria, Cantelama vocata, alta voce dixit: " Non amplius, Fr. Herculane, non amplius. " Ille vero e contra respondit: " Imo amplius, domina Maria, imo amplius! Ploremus omnes, ploremus! " Istoque modo omnium voces adeo convaluerunt, ut numquam in ipsa civitate similis planctus auditus fuerit. »

Chronica beati Bern., pg. 17: « Hic Dominicam passionem praedicando in civitate Aquilana ad tantum planctum simul omnes venerunt, quod voces ascendebant ad astra, propter quod quaedam nobilis domina, domina Maria Cantalana nominata, dixit: " Non amplius, Fr. Herculane, non amplius. " Ille vero e contra: " Imo amplius, domina Maria, imo amplius! Ploremus omnes, ploremus! " et isto modo convaluerunt voces omnium, et numquam in illa civitate similis planctus fuit auditus. »

[2] Ex chronica nostra plura transierunt in vitam fr. Paulutii, quae exstat in codice 412 *Sess.* bibliothecae *nationalis Romanae,* quam evulgavit FALOCI in *Miscellanea Franc.*, t. VI, pg. 104 sqq. Faloci vitam attribuit fr. Mariano Florentino; codex non manu ipsius fr. Mariani scriptus est, at proculdubio codicis auctor fuit ordinis *fratrum minorum* et vixit in *Tuscia,* beatos hujus ordinis et tertiae praeprimis celebrat; scripsit etiam ineunte saec. XVI (fol. 23r ex. gr. dicit: « Ultimamente anno

Facile intelligimus, magnam partem eorum, quae de familia Italiae apud Marcum Ul. et Waddingum leguntur, deberi beato Bernardino Fossano; *ejus chronica est fons primarius historiae franciscanae illius temporis.*

---

del signore MDVII »; et fol. 12v: « Nel anno MDV nel loco fora di Pistoia me presente »).

Ut nonnulla de codice ipso addamus, codex cartaceus (276 X 210) habet folia 265 duplici columna scripta et duas partes. *Priore* fol. 3r - 29v invenitur « El Defensorio della verita », contra *Jacobum Bergomensem* aliosque historiae scriptores; sequuntur vitae « di frate Jacopone — della beata Humiliana de Cerchi — beato padre fra Paulo de Trinci — beato Polidoro Romano — beato fra Girolamo della Stupha — beato Antonio da Stronconio — beato frate Lazilao Unghero di casa Reale — beato fra Guasparri da Firenze — beato Antonio da Siena — beato fra Leone da Pietra, discepolo del beato Tomma da Florenza — frate Pietro Corso da Brieta — beato frate Herculano dal Piagale — beato fra Michele da Barga — delli sancti frati fra Jacopo da Pauuia e fra Francesco da Barga — del sancto frate fra Piero (!) da Treguanda — del frate Sebastiano martire Fiorentino — di frate Johanni da Montelcino »; fol. 132v: « Finita questa parte di libro El Giorno di Sancta Orsola... Preghisi Dio per chi ha scricto. Laus Deo ». Parte *altera* (fol. 134 sqq.) habentur vitae « del beato fra Johanni de Bonvisi da Lucca — beato fra Pietro da Firenze — beato fra Gherardo da Fiorenza — beato fra Batista da Fiorenza — fra Domenico da Fiorenza — frate Egidio da Fiorenza — fra Cherubino Capponi e fra Domenico da Campi — frate Pietro Francioso, laico — fra Paulo Francioso — frate Lodovico da Siena, che fu Vicario della Provincia — beato fra Paulo Tedesco, Homo contemplativo — beato fra Bartolommeo da Anghiari — beato fra Mariano da Lugho ». « Vita et martirio di sancto Angelo Hyerosolimitano del ordine di Monte Carmelo — beato Romulo da Fiorenza — beato fra Piero da Fiorenza, Priore di Lucca — fra Piero Belfredelli da Firenze — frate Antonio di Mugello — beato fra Michele da Firenze — frate Bianco da Lanciolina, Contado di Firenze — frate Nanni di Gualteri da San Gimignano — beato Amaddio Spagnolo, Capo di frati nominati Amaddei — beato Manno di Svetia — beato fra Piero da Firenze — fra Bernardo, fratello di fra Piero » (fr. Romulus et sex sequentes ex ordine *Jesuatorum*, tres ultimi ex ordine *sanctae Birgittae S. Salvatoris*).

JESUS.

Incipit Chronica Fratrum Minorum de observantia nuncupatorum ad laudem et gloriam sanctissimae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti ac Domini Nostri Jesu Christi suaeque Matris Mariae necnon et Patris Nostri Francisci totiusque supernae curiae triumphantis.

PROLOGUS.

Non sine dolore cordis haec scribo. Novi enim, quod in hac nostra familia sunt plurimi fratres in arte dicendi doctissimi et conscientiae limatae, qui hoc opus summa cum omnium consolatione scripsissent idque minime fecerunt; nec mihi notum est, quod aliquis faciat. Et cum quandoque haec et nonnulla miranda, quae divina bonitas operata fuit in hac familia, memoriae commendarentur, cum fratribus generalis capituli dixerim, nulla penitus de nostra recordatione extimatio facta fuit. Hinc est, quod licet in arte dicendi sim imperitus, tamen potius volui veritatem pandere stilo rustico ad posterorum consolationem atque informationem, quam tot et tanta perpetua memoria digna damnoso silentio transeant, potius volens de praesumptione, quam de inutili silentio redargui.

Verum quia multa mihi fratres nota fecerunt, quae ego ipse videre non potui, quia longe prius, quam ordo me receperit, facta fuerunt, illa referam, prout mihi narrata fuerunt. Plurima

autem novi, quia praesens fui, vidi, audivi et secundum paucitatem ingenii mei bene consideravi; illa narrabo seriosius, secundum quod Dominus meus mihi gratiam ministrabit. Nemo tamen putet me esse mendacem, si quae dixero, quae forsitan quandoque videbuntur extranea; ista enim scribo ad honorem Dei et religionis et pro salute animae meae; profecto magna foret caecitas mea, si, unde lucrari cupio, inde mentiendo peccarem.

Explicit prologus.

Incipit tractatus. Et primo de quibusdam bonis fratribus, qui voluerunt se separare, ut possent regulam melius observare, sed tamen facere non potuerunt.[1]

CAPITULUM 1.

Relatum fuit mihi, quod fuerunt quidam pauci boni fratres, qui, cum vidissent rigorem observantiae regularis in religione deficere, quorum nomina ignoro, zelo suae professionis observandae moti tentaverunt simul congregari et a communi fratrum conversatione separari et secundum fragilitatem suam regulam suam simpliciter observare. Sed contra eos operante diabolo mota fuit magna tempestas atque persecutio fratrum ita et taliter, quod in diversas partes orbis dispersi fuerunt et nihil penitus facere potuerunt.

Item fuit quidam bonus frater et fervens, qui frater *Angelus de Monte Leone*[2] vocabatur, vir utique bonae operationis et famae. Hic quosdam sui similes bonos fratres habuit, et simul concordantes regulam suam simpliciter observare volebant; sed cum hoc sine voluntate, assensu et favore praelatorum facere minime possent, a suis superioribus gratiam postularunt, ut eis gratiam facerent, quatenus regulam suam observare valerent. Qui utique hoc suum desiderium implere minime potuerunt, sed potius injuriis et contumeliis affecti ab invicem divisi sunt; et per diversas orbis partes transmissi suum desiderium implere non valentes nihil egerunt.[3]

[1] Cf. ANGELUS CLARENUS, *Historia septem tribulationum Ordinis Minorum*, in *Archiv*, l. c., t. II, pag. 106 sqq.

[2] Duo memorantur fratres hujus nominis; de priore, cujus hic fit mentio, cf. WADD. ad an. 1241, n. XV, de altero, qui fuit socius fr. Paulutii de Trincis, cf. ib. ad an. 1390, n. V.

[3] Chronica XXIV generalium (*Anal. Fr.*, t. III, pag. 266) de fratre Angelo de Monte Leone loquitur agens de temporibus fr. *Crescentii de Aesio*. Hinc ex illis fratribus

Fuit insuper quidam notabilis et sanctae vitae vir, nomine frater *Angelus de Clareno*,[1] fervens utique et suae regulae cupidus observator, qui etiam magno desiderio desideravit, ut a communi fratrum tumultu semotus cum aliquibus fratribus regulam suam secundum voluntatem patris nostri beati Francisci et factam professionem servare posset. Sed magna persecutio contra ipsum et suos mota fuit, et, quod desiderabat, obtinere non potuit, imo tribulatus multipliciter fuit. Iste bonus homo de Italia pulsus perrexit in Graeciam. Et cum esset nocte Nativitatis Domini in quadam ecclesia, in qua lingua graeca dicebatur officium divinum, in se gratiam sentiens et genuflectens coram praelato dixit: « Jube domne benedicere. » Praelatus, qui jam suam sanctitatem cognoverat, benedixit eum; ille vero ad librum accedens lectionem in lingua graeca perlegit, ac si graecus natus esset (f. 1ᵛ) et in lingua illa diutius eruditus extitisset. Et ex tunc in posterum graecae linguae notitiam habuit, ita ut nonnullos libros de graeco in latinum transtulerit. Inter alios vero libros, secundum quod mihi relatum fuit, notabile volumen transtulit et maximae utilitatis, quod nos *Joannem Climacum* vocamus a Climas, quod est scala, quae ad similitudinem scalae triginta gradus habet. Iste liber in nostra familia magnae reputationis habetur; docet enim spiritualem vitam, docet tentationes daemonum et vitia, ut vitentur, et virtutes, ut sequi valeamus, miro modo demonstrat, ut clarius viderunt, qui ipsius notitiam habent. Sed vir quidam utique

fuisse videtur, de quo Clarenus in « tertia persecutione » loquitur. « Capti et severe tractati afflictionibus et contumeliis diversis et variis opprimuntur; tandem segregantur ab invicem et cum litteris diffamatoriis tanquam viri pestilentes et ordinis destructores et velut schismatici et haeretici ab omnibus vigilanter et caute cavendi bini et bini ad singulas quasque ordinis remotiores provincias diriguntur. » (*Archiv*, l. c., pag. 260). Illi vero « boni fratres, » de quibus B. Bernardinus primo loco agit, ad tempora fr. *Eliae* referendi videntur, quem « secundam persecutionem » excitasse Clarenus dicit.

[1] De illo cf. *Acta SS.* junii III, pag. 566-576, quo loco ea, quae WADD. sparsim de venerabili fr. Clareno scripsit, collecta inveniuntur, et praesertim EHRLE, l. c., t. I-IV.

religiosus vitae monasticae, nomine *Ambrosius*,[1] ut ajunt vir utique in scientia humanitatis, ut vocant, apprime doctus necnon et graecae linguae eruditus, illummet librum transtulit in latinum politiori sermone et elegantiori latino. Quod laudo; sed hoc mihi exosum est et nescio, ubi hunc eloquentiae modum didicerit servus Dei existens, quod in principio libri multas injurias illi pauperculo dicit; et unde debuisset illum laudare quasi virum bonae vitae et rectae conscientiae, qui librum illum latinis dedit, et propter ipsum infinita bona, ut ita loquar, operati sunt, vituperare conatur. Si meruit vel demeruit, ex verbis suis summus arbiter judicet. Fecit ille bonus homo, quod novit; certe si ille notitiam latinis non dedisset, forsitan adhuc ignorarent, et multis amicis Dei praestitit lumen et non minimam consolationem.

Iste frater Angelus volens fratrum persecutiones vitare incidit in Scillam, cupiens vitare Charybdim;[2] mutavit habitum et exivit extra obedientiam ordinis, ut regulam beati Francisci servaret; accepit habitum eremitarum et quasi fecit caparonem, prout antiquitus ordo consueverat uti, dissutum tamen et simplicem. Et sub episcoporum obedientia vixit ordo suus usque ad ista tempora *Sixti* summi pontificis, qui vocabatur magister Franciscus de Savona, ordinis minorum, singularissimi doctoris in theologia. Nunc vero more nostro utuntur caputio, dissuto tamen et ex parte ante longo, et sub obedientia reve-

[1] Est *Ambrosius Camaldulensis*, qui in praefatione suae versionis de Angelo Clareno inter alia dicit: « Contendant isti peritissimum in utraque lingua extitisse; ego ab illis longe dissentiens in neutra satis peritum fuisse, veraciter asseverabo: nam Graeca pleraque non recte intellexisse, cuilibet ejus linguae vel mediocriter perito facile constabit: et Latina posuisse qui affirmat sese imperitissimum esse haud obscure significat » (cf. MIGNE, P. P. Gr. t. LXXXVIII, pag. 615, ubi *Matthaei Raderi* Isagoge ad *Scalam paradisi,* quo loco Raderus dicit: « Interpretationem Angeli de Cingulo editam non vidi, sed existimo illam, cujus exemplar habemus ms. in Eberspergensi sede »).

[2] Codex « caridim ».

rendissimi generalis ordinis minorum recepti sunt.[1] Iste frater Angelus, ut asserunt, priusquam moreretur, fecit quasi testamentum et suis fratribus praecepit, ut, cum in ordine minorum esset bona observantia, ad illum redire tenerentur. Unde cum scl. reverendus pater frater Joannes de Capistrano dixisset quibusdam ex illis eremitis: « Ecce jam in ordine est observantia; vos non potestis cum bona conscientia stare, quin ad minorum religionem redeatis, » quo plerique ipsorum perterriti, 27 sacerdotes eodem tempore inde recesserunt et ad familiam nostram venerunt. Iste bonus homo, quod voluit, minime fecit, quia ordinem exivit et regulam beati Francisci non observavit, imo extra ordinem factus frater minor vocari non potuit. Unde a quibusdam magnae reputationis viris ad pusillanimitatem et animi vilitatem illi fuit imputatum, ut extra ordinem exiret. Veritatem tamen novit ille, qui nihil ignorat.

De fratre Paulutio de Fulgineo,
qui observantiam familiae in ordine inchoavit.[2]

CAPITULUM 2.

Frater *Paulutius de Fulgineo* fuit consanguineus dominorum Fulginentium, quorum domus vocabatur *de Trincis.*[3] Quos quidam terribilis patriarcha de *Corneto* dextruxit, et eo tempore ego eram Perusii studens, et ad nihilum redegit, ita

[1] Sixtus IV die 11 martii 1473 bullam « *Dominus noster Jesus Christus* » emanavit, qua Clareni ministro generali ordinis minorum subduntur; cf. WADD. ad an. 1473, n. XII.

[2] Cf. FALOCI, *Il B. Paoluccio Trinci da Foligno* (*Misc. Franc.*, t. VI, pag. 97-128), quo loco antiquae de ipso notitiae collectae habentur; addimus ea, quae NICOLAUS A FARA in vita *S. Joannis Cap.* (*Acta SS.* oct. X), pg. 453 et EHRLE, l. c., t. IV, pg. 181 sqq. notarunt.

[3] Codex « strincis ». Hujus familiae nobilissimae historiam scripsit DORIO, *Historia della Famiglia Trinci,* Foligno, 1638.

quod nullum germen de illis remansit, sed omnes annihilati fuerunt.[1] Patriarcha vero ille post aliqua tempora in ponte *sancti Angeli* Romae captus et letaliter vulneratus et intra castrum missus, bene dispositus et confessus ut ajunt, mortuus fuit. Hunc actum castellanus fecit, nec a suo potuit exercitu defensari, quia ostiis et catenis ferreis pons clausus fuit, et de castro statim coeperunt emittere machinas (f. 2[r]). Unde nulla fuit ibi facta violentia, sed capto capite membra steterunt.[2]

Iste frater Paulutius existens homo perfectae aetatis et mundi fallacitatem contemplans mundo renuntiavit et habitum fratrum minorum accepit. Sed videns, quod vita fratrum non bene concordabat cum regula, fuit male contentus, et coepit cogitare, quomodo posset suam regulam observare. Finaliter Spiritu Sancto inspirante cogitavit cum domino Fulginei, suo consanguineo, de hoc facto habere sermonem. Ille vero dominus consanguinei sui causam non sine divina inspiratione fideliter tractavit. Accidit casus divina providentia operante, quod fratres provinciae sancti Francisci in civitate Fulginei capitulum fecerunt,[3] quibus dominus valde liberalis fuit ultra solitum de eleemosynis et omnibus favoribus opportunis in modum et formam, quod omnes fratres valde sibi fecit obnoxios et obligatos. Completo vero capitulo minister et fratres de beneficiis receptis gratias retulerunt, ne de tot et tantis beneficiis viderentur ingrati, et secundum quod moris est ob-

[1] Ioannes *Vitelleschi,* de Corneto oriundus, patriarcha Alexandriae et legatus S. Sedis, anno 1439 bellum gessit contra *Conradum Trincium* (ob ipsius « tirania ne' sudditi, favorir i nemici della chiesa e daneggiar i luoghi dello Stato Ecclesiastico »), Fulgineum expugnavit ac die 18 sept. Conradum cum filiis et parentibus captivos deduxit. Conradus ejusque duo filii in Rocca di Soriano strangulati obierunt (cf. DORIO, l. c., pag. 229 sqq. et *Fragmenta Fulginatis Historiae* apud MURATORI, *Antiquitates Italicae medii aevi,* t. IX, pag. 900).

[2] De morte ipsius, qui modo supra relato feritus die 2 apr. 1440 obiit, cf. PASTOR, *Geschichte der Päpste,* t. I, pag. 293 sqq.

[3] Capitulo huic anno 1368 celebrato interfuit minister generalis fr. *Thomas de Bononia;* cf. FALOCI, l. c., pag. 105.

tulerunt se; si qua grata pro sua dominatione facere possent, offerebant se esse paratos. Dominus vero respondit, quod, quae fecerat, amore Dei fecerat et ex devotione religionis; tamen secundum quod prius cum fratre Paulutio sermonem habuerat in secreto, ex gratia petiit, ut frater Paulutius consanguineus ejus cum aliquibus paucis suis sociis ad faciendum poenitentiam in loco *Brulliani*,[1] qui est in confinibus civitatis Camerini et Fulginei, posset sub obedientia ipsius patris ministri commorari, quod operante divina clementia pater minister et fratres acceptaverunt, quia locus est ille asperrimus. Et ita frater Paulutius cum sociis accessit ad locum, nec inde mutatus est, sed favore Domini ibidem cum sociis conservatus. Et non mirabile quid, quod favore hominum saecularium communita ista familia relevata, conservata et aucta est, quia divina bonitas ita voluit; curiam vero Romanam, quia est mater communis conventualium et nostrae familiae, oportebat se honestare, ut conservaret utrosque; non enim fuisset conveniens, quod lucrando nos perderet illos.

Postquam vero praedicti fratres desideratum locum Brulliani habuerunt, in magna sanctitate vivere coeperunt atque austeritate vitae. Locus siquidem, in quo et ego ipse quandoque fui, asperrimus est et ab hominum habitatione valde remotus, nec in partibus illis vinum recolligitur; et habebat tunc quemdam lacum, imo potius paludem prope in illa planitie, qua itur Camerinum, quae tanta ranarum copia ac numerositate plena erat, quod, quando de nocte vel de die cantabant, erat angustia maxima. Quibusdam tamen jam annis elapsis dominus Camerini forari fecit montem quemdam quasi per unum miliare

[1] In documentis et alibi conventus ille saepius vocatur locus « *Pistriae* » vel « *Pistiae* » a civitate olim ibi sita. In hoc conventu fr. *Joannes de Vallibus* per multos annos cum suis discipulis in perfecta regulae observantia vixerat ibique fr. Paulutium in vita religiosa instituerat (cf. MARC. UL., l. c., p. III, l. 1., cap. I, et WADD. ad an. 1334, n. XXIV).

vel circa, et ubi erat prius ranarum habitatio et palus, jam campi frumenti sunt, et aqua illa intra *Seravallem* fluit, ut patet.[1] Perseverantes vero fratres illi in sanctitate vitae et observantia regulari et devotione maxima et potissime in assiduitate orationis in maximam devotionem populorum creverunt. Nam quando ibant pro eleemosyna, *Pater noster* brachiis in cruce tensis dicere non verebantur; et dum expectabant petitam eleemosynam, genuflexiones faciebant. De secretis vero putandum est, quod in multis lacrimis et memoria passionis Salvatoris nostri Jesu die noctuque versabantur, quorum odore sanctitatis et vitae plerique juvenes converti coeperunt. Verum quia illi saeculares in partibus illis habitantes pauperes sunt et patria valde petrosa, ideo saeculares incedunt nudis pedibus et zocculos ferratos ferunt pro calciamentis, quorum exemplo illi primi fratres etiam nudis pedibus zocculis uti coeperunt. Hinc est, quod tota familia illorum patrum exemplo zocculis utitur nudis pedibus usque modo.

Quomodo familia favente divina gratia in Italia coepit augeri.[2]

CAPITULUM 3.

Quidam venerabilis antiquus pater nomine frater *Franciscus de Stroncona* mihi retulit, quae nunc narro. Divina providentia disponente in civitate *Perusii* supervenit maxima multitudo

---

[1] Cf. Faloci, l. c., pag. 105: « *Sopra Foligno fra il Castello di Serra-Valle et Colle Fiorito.* »

[2] Cf. Wadd. ad an. 1374, n. xxiv sqq.; ad quae Ehrle, l. c., t. iv, pag. 185, not. 2, dicit: « Der Bericht Wadding's und Pellini's (*Dell'Historia di Perugia,* Venetia, 1664, i) stammt aus dem " *Specchio dell'ordine minore* ,, und als Marianus, wie ich glaube, da sich im " *Specchio* ,, nicht alle von jenen Autoren angeführten Einzelheiten finden. » Marianus suam relationem ex chronico B. Bernardini proculdubio desumpsit; relatio dicti *Specchio* habetur apud Faloci, l. c., pg. 102.

haereticorum, qui (f. 2v) *de opinione* vocantur et gerunt habitum fratrum minorum et tenent, quod papa non sit papa, et quod episcopi non sint episcopi, et quod sacerdotes non sint sacerdotes, et sic in infinitos errores lapsi sunt, quos mandato summorum pontificum fratres nostri beatus *Joannes de Capistrano* et frater *Jacobus de Marchia* terribiliter destruxerunt.[1] Hi, priusquam essent cogniti, venerunt in civitatem Perusii et fuerunt in tanta copia, quod non solum ecclesias occupaverant, sed etiam palatia civium extra muros et in campis aedificata repleverant. Cives vero videntes honestatem habitus et simulationem bonae vitae aliquam non parvam devotionem illis habere coeperunt. Isti vero videntes sibi assistere devotionem populi maximam persecutionem fratribus de conventu sancti Francisci faciebant ita, quod quandoque in medio plateae civitatis illos confundere nitebantur; quandoque enim in platea invenientes fratres de conventu capiebant camisias juxta collum et coram civibus dicebant: « Pater! hoc non docuit te sanctus Franciscus. »

Fratres vero de conventu erant maxime tribulati et quid facerent ignorabant. Tandem fecerunt simul consilium dicentes: « Isti ribaldi nos persequuntur et lamentari non possumus, quia populi favore defenduntur; » in quo consilio multi multa locuti sunt. Aliqui volebant facere practicam civium et ipsorum favorem quaerere; aliqui volebant ire ad curiam, et sic erant vota diversa et inutilia. Tandem unus de minimis fratribus inspiratus a Deo dixit: « Patres mei! vos nihil facitis neque cogitatis; si meo consilio vultis acquiescere, ostendam, quomodo istos ribaldos possimus expellere. » Tunc omnes dixerunt: « Dicas

[1] Sermo est de *fraticellis*, quos plures illo tempore in dioecesi Perusina fuisse, duae litterae ab Urbano V die 18 febr. 1368 datae produnt (cf. WADD. ad an. 1368, n. v et vi). Doctrinam fraticellorum « de opinione » exponit S. IACOBUS PICENUS, *Dialogus contra fraticellos*, in STEPHANI BALUZII *Miscellan.* (ed. Mansi), t. II (Lucae, 1761), pag. 595.

amore Dei.» Tunc ille dixit: « Non est alia via sub coelo ad expellendos istos malos fratres, nisi ducamus veros fratres sancti Francisci ad civitatem istam.» Responsum fuit: « In veritate verum dicis; sed ubi sunt isti fratres veri?» Tunc ille dixit: « In loco Brulliani; » et addidit: « Nos habemus cappellam *sancti Francisci de Monte* in qua ipsi poterunt morari secundum desiderium eorum;[1] et isti ribaldi haeretici expellentur.»

Dictum istius Deo inspirante placuit omnibus, et ita fecerunt. Tunc frater Paulutius misit quosdam de fratribus suis ad civitatem Perusii, et traditus fuit illis locus pauperculus, honestissimus et extra civitatem situs, in quo cum maxima devotione, fervore et observantia regulari vivere coeperunt. Perusini vero, quia sunt homines oculati ac sensu acuti, coeperunt contemplari vitam fratrum, honestatem, austeritatem, devotionem, paupertatem, et mirari coeperunt; illisque maximam affectionem conceperunt, et nonnulli ex ipsis conversi sunt et fratres minores esse voluerunt. Et in tantum civium Perusinorum excrevit devotio, quod super omnes religiosos habent fratres de Monte, et vix posset esse aliqua tam magna tribulatio, quae eorum devotionem, affectionem et amorem delere posset.

Ex his, quae dicta sunt in praesenti capitulo et in praecedenti, patet non esse verum, quod quidam asserunt, scilicet quod observantia nostrae familiae a vicaria *Bosnae* sumpsit exordium.[2] Nam exordium fuit divina gratia, mediante fratre Paulutio, favente domino Fulginensi, ut latius supra scripsi.

---

[1] Quo loco beatus *Aegidius* longo tempore vixit.

[2] Quod saepius legitur; cf. *Chronicon Gyöngyösiense* apud FERMENDZIN, *Chronicon observantis provinciae Bosnae Argentinae* (Zagr., 1890), pg. 13. Explicatur eo, quod ad hanc vicariam laboribus et periculis plenam fratres meliores ex provinciis ordinis mittebantur.

Quomodo haeretici expulsi fuerunt de civitate Perusii et veri fratres beati Francisci exaltati et augmentati in numero et devotione (1374).[1]

CAPITULUM 4.

Postquam veri fratres beati Francisci et observatores suae regulae Perusium venerunt secundum consilium supra datum, Dominus voluit haereticorum pravitatem hoc modo monstrare. Ad cujus intellectum notandum, quod Perusini habent nonnulli pulchra palatia extra civitatem in possessionibus suis et aestivo tempore ad palatia illa accedere ibique per aliquos menses moram facere. Accidit casus, quod quidam civis commodaverat palatium suum illis haereticis, et ipse in aestate cum familia sua habitabat in pessulo[2] supra, haeretici vero in terrato infra. Civis audiens haereticos simul contendere, plane (f. 3r) removit unum laterem, quod haeretici nulla ratione perpendere potuerunt; et applicans auriculam suam ad locum, unde later amotus fuit, audivit haereticos submissa voce et mordaciter contendentes. Et unus ex ipsis dicebat alteri: « Unde est et fuit tibi tanta praesumptio, ut papa vocari velis et summus pontifex reputari? Quo jure? qua auctoritate? quis te papam constituit aut quis te constituere potuit, ribalde, superbe, maledicte a Deo? » Ille vero respondit, quod fuerat rite et secundum canones (fuerat)[3] summus pontifex electus et constitutus, et miro modo se defendebat. Ille vero contra ipsum replicabat, et erat mira contentio inter utrosque. Civis vero audiens et sagaci ratione considerans miratus est et intra semetipsum dixit: vere

[1] Anni in uncis positi desunt in codice.

[2] « Pessulum est appensum domui tectum, quodvis aedificiolum extra murum in viam prominens » (Du Cange).

[3] Codex bis habet « fuerat ».

ita est, ut audivi, quod isti pessimi ribaldi et haeretici sunt. Et rediens ad civitatem pluribus civibus factum narravit, et papam haereticum *de opinione* cum cardinalibus et tota curia de palatio suo cum injuria, secundum quod merebantur, ejecit. Et dixit eis, qualiter de superiori parte palatii audivit ipsos contendere, et qualiter unus ex ipsis se pro papa gerebat, ut supra. Et ex tunc omnes illi haeretici patefacta ipsorum iniquitate de Perusino districtu fuerunt expulsi, et est notanda miranda providentia divina. Nam in aliquibus palatiis remanserunt, contra quos pueri civitatis Perusinae maxima bella gesserunt. Obsederunt namque aliqua palatia, in quibus morabantur haeretici, et per tres dies continuos die noctuque cum lapidibus ostia portarum percutientes fregerunt, et quidam ex ipsis jaciebant continuo lapides, alii vero pro victualibus ad civitatem redibant, nec dimiserunt illos, quousque omnes fuerunt expulsi.

Et quia secundum philosophum « opposita juxta se posita clarius elucescunt, » quando cives videre coeperunt fratres veros et viros catholicos et in fidei veritate et obedientia sanctae Romanae ecclesiae bene fundatos, maximam devotionem nostris fratribus conceperunt; et e contra de haereticis, secundum quod merebantur, malam opinionem habere coeperunt ipsosque expulerunt, ut supra. Patres vero, qui tunc temporis Perusii in conventu sancti Francisci morabantur, valde gavisi sunt, quia desiderium suum aspiciebant esse completum. Fratres nostri in tantam populi devotionem creverunt, quod, qui conversationem, amicitiam sive familiaritatem ipsorum habere potuisset, beatum se esse putabat. Fama insuper sanctitatis ipsorum crescente ad civitates et terras convicinas devenit, et omnes ipsos habere in sua civitate volebant. Et plurimi boni et honesti cives bonae reputationis et famae converti ad religionem coeperunt.

Et sic nostra familia aucta fuit numero ac devotione.

De ampliatione familiae quantum ad provincias et loca diversa.

CAPITULUM 5.

Expulsis haereticis de civitate Perusii fama sanctitatis et bonae vitae fratrum coepit circumquaque diffundi, et tunc civitates magno desiderio fratres habere cupiebant. Hinc est, quod loca multiplicari coeperunt in provincia sancti Francisci. Quis vero locus captus fuerit post locum sancti Francisci de Monte, de quo supra, et quot loca et quae et quo tempore in eadem provincia, penitus ignoro.[1] Similiter quae provincia prima fuerit post provinciam sancti Francisci, nullam notitiam habeo, nec multum curo, quia necessarium nulla ratione putavi.[2] Novi tamen, quod per totam Italiam loca aedificata fuerunt et fratres in magna numerositate creverunt. De *ultramontanis* partibus, in quibus etiam observantia relevata fuit, quo tempore et a quo sumpsit exordium, notitiam non habui, nec hactenus habere quaesivi.[3]

Illi primi patres in Italia valde ferventes fuere, qui ad provincias accedebant et cum omni caritate fraterna et magno

[1] Cf. litteras, quibus fr. *Matthaeus ab Amelia*, minister provincialis provinciae S. Francisci, fr. Paulutium die 12 sept. 1380 commissarium suum in 12 locis nominat. « De tuis exemplari vita, discretione, prudentia, animarum zelo ac virtute multiplici longo tempore in ordine comprobatis in Domino fiduciam plenam gerens te in locis devotis seu eremitoriis devotorum fratrum simplicium intrascriptis, videlicet Carceris beati Francisci, sancti Damiani, Rocchicciolae — *custodiae Assisii,* — Farneti, Montis Perusii, Montis Iovis — *custodiae Perusii,* — Eremitae, Montis Iovis — *custodiae Tudertinae,* — Stronconii — *custodiae Narniensis,* — Jani, Montis Luci et Pistiae — *custodiae Vallis,* — meum commissarium instituo » (cf. WADD. ad an. 1380, n. XXIX).

[2] Post provinciam S. Francisci primas domus receperunt fratres familiae in provincia *Romana;* cf. litteras Gregorii XI die 28 julii 1373 datas pro fratribus « loci *Scarzolae,* Urbevetanae dioecesis, » « loci *Grecii,* loci *Fontis Columbi,* loci *Podibastonis,* Reatinae dioecesis » (Greccio, Fonte Colombo, Poggio Bastone), apud FALOCI, l. c., pag. 113, et litteras ejusdem de 22 junii 1374, apud EHRLE, l. c., t. IV, pag. 184.

[3] Cf. DOMINICUS DE GUBERNATIS, *Orbis Seraphicus,* t. II.

Dei honore et populorum aedificatione loca capiebant et de novo aedificabant, ita quod totam impleverunt Italiam. In ista enim locorum multiplicatione quoddam singulare lumen divinae gratiae susceperunt, scl. quod loca noviter aedificanda sumpserunt et extra civitates et terras; nam nova loca sumendo nulli faciebant injuriam et isto modo pacifice sua facta fecerunt, quoniam, si voluissent conventus accipere, indignationem patrum conventualium (f. 3v) oportebat incurrere et in continuo bello morari, quia nemo de domo sua potest sine turbatione repelli. Aliud singulare lumen fuit, quia extra terras et ab habitationibus hominum remota loca fecerunt, quod quidem est valde laudabile, ad evitationem continuae conversationis saecularium, ex quibus ipsi magis aedificantur, et fratres securius et laudabilius conservantur. Nam semel quidam notabilis civis Aquilanus hoc mihi dixit: « Vere ista locorum sequestratio est vestra conservatio; » et adjecit: « Vere ego puto, quod divina gratia mediante ista vestra observantia usque ad finem saeculi conservetur. »

Postquam vero fratres numero et virtute creverunt, de sola Italia minime stetere contenti, sed fervore caritatis accensi ultra Italiam se extenderunt. Susceperunt namque loca *Jerosolimitana* et usque nunc Domino duce bene, sed non sine maximo labore gubernarunt. Ceperunt loca in *Capha*,[1] quae relicta fuerunt, quia postquam Turcus nobilissimam civitatem Constantinopolitanam sibi debellando subjecit, fratres loca illa minime gubernare valebant; unde de assensu summi pontificis relicta fuerunt. Susceperunt insuper loca in civitate *Constantinopolitana* et in civitate *Perae*, et longo tempore illa rexerunt; sed postquam Turcus illas civitates occupavit, dimissa fuerunt. Susceperunt et tenent loca *Candiae*, loca *Dalmatiae*, loca insulae *Corsicae*, *Siciliae* et *Sardiniae*. Et paucis annis elapsis in provincia *Basilicatae* coepimus construere loca.

[1] Capha vel Caffa, civitas Chersonesi.

Ista vero nostra provincia, quae antiquitus *Pennensis* vocata fuit, in capitulo generali *Mediolani* celebrato (1457) tempore illustrissimi ducis *Francisci Sforza*, in quo totus ordo convenit tam patrum reverendorum conventualium, quam etiam de observantia nuncupatorum, in quo et ego ipse praesens fui, de communi consensu totius capituli generalis ad sonum campanellae congregati mutato nomine Pennae provincia *S. Bernardini* ob reverentiam sancti novelli in illa quiescentis vocari promeruit. A provincia sancti Francisci sumpsit exordium; merito illius filia vocari potest. Quidam enim frater *Jeronymus de Stroncona*,[1] vir utique valde religiosus et fervens, *Aquilam* venit et locum devotissimum *sancti Juliani* accepit, quem pro majori parte quidam notabilissimus civis nomine *Nutius de Fonte* suis impensis aedificavit.[2] Postea fratres loca in aliis civitatibus aedificarunt, et Domino duce facta est hactenus provincia valde commoda tam vitae spirituali quam corporali 17 loca tenens.

De quibusdam primis et principalioribus fratribus ad familiam receptis, quorum vita et doctrina tota christianitas illuminata est.[3]

CAPITULUM 6.

Multiplicatis provinciis et locis in hac familia multiplicati sunt fratres, quorum aliqui singulares fuerunt in vita et doctrina, et eorum sanctitas et boni odor exempli lumen attulit

---

[1] Frater Hieronymus fuit discipulus et comes laborum fr. *Joannis Stronconii*: hinc explicatur, quod Gonzaga (*De origine ser. relig.*, pag. 410) et Wadd. (ad an. 1415, n. xxxvi) ipsum fr. Joannem dicunt fundasse conventum S. Juliani. De fr. Hieronymo B. Bernardinus pauca dicit in *Provinciae D. Bernardini Coenobia*.

[2] Gonzaga et alii « *Nuntius* », codex recte « Nutius » (cf. Alessio, *Storia di S. Bernardino*, pag. 360 « *Nuzi* »).

[3] De his fusius agit Oddi in suo *Specchio*.

aliqua breviter sperans, quod divina bonitas aliquem virum bonum et doctum inspirabit, qui ad gloriam Dei et posterorum consolationem vitam eorum longiori sermone describat.

In *provincia sancti Francisci* fuerunt notabiles viri vita et sanctitate praeclari frater *Joannes de Stroncona,* vir mirabilis et devotus et fervens, quem fratres dicunt claruisse miraculis, cujus corpus in provincia sancti Angeli in loco *Luceriae* requiescit;[1] frater *Herculanus de Perusio,* qui fuit singularissimus praedicator et praecipue passionem Domini miro modo super omnes alios praedicatores ferventissime praedicabat. Hic Dominicam passionem praedicando in civitate Aquilana ad tantum planctum simul omnes venerunt, quod voces ascendebant ad astra, propter quod quaedam nobilis domina, domina *Maria Cantalana* nominata, dixit: « Non amplius, frater Herculane, non amplius! » Ille vero e contra: « Imo amplius, domina Maria, imo amplius! Ploremus omnes, ploremus! » et isto modo convaluerunt voces omnium, et nunquam in illa civitate similis planctus fuit auditus.[2] De aliis vero sanctis viris, qui postea in provincia praedicta fuerunt, nihil aliud dicam, ut de fratre *Francisco de Pavia,*[3] fratre *Antonio de Stroncona* laico[4], quos vidi, novi et cum ipsis locutus fui.

Contra conscientiam facerem, si venerabilem patrem fratrem (f. 4[r]) *Bartholomaeum de Jano* de praedicta provincia silentio praeterirem.[5] Hic sancti Bernardini socius fuit et acce-

[1] Successit fr. Paulutio et post multos pro familia actos labores circa 1419 mortuus est. Codex « Nuceriae ».

[2] Obiit anno 1451. Cultum ipsi exhibitum ratum habuit Pius IX, festumque agitur die 29 maji. Confer *Acta SS.* maji VI, pag. 849 sqq. et cod. Sessor. 412, fol. 102r-111r.

[3] Cf. MARC. UL., l. c., p. III, l. 3, c. 43 sqq. et WADD. ad an. 1454, quo fr. Franciscus mortuus est.

[4] A patruo suo fr. Joanne a Stronconio in vita religiosa institutus obiit meritis et annis plenus die 7 febr. 1471, quo die festum ipsius ex apostolica concessione agitur. Cf. *Acta SS.* febr. II, pg. 146 sqq. et cod. Sess. 412, fol. 78v-80v.

[5] Cf. cod. 777 (saec. XV, ant. sign. D VI 12) bibl. Casan. Rom., quo pg. 97 et sqq. excerpta ex *Barthol. Pisani* libro *De conform. S. Fr. cum Christo* habentur cum plu-

ptissimus praedicator; hic accessit in Graeciam et per duodecim annos in civitate Constantinopolitana moram traxit, prout ipse mihi retulit. Hic videns, quod civitas praedicta ad manus Turcarum, nisi juvaretur, veniret, Romam perrexit et summo pontifici dixit: « Beatissime Pater! Civitas Constantinopolitana perditur sine fallo, nisi juvetur. » Demum civitas illa non adjuta fuit, et ipse paulo post obiit, et civitas illa ante annum elapsum perdita fuit. Videtur, quod divina providentia sibi vitam servaverit, donec inspiratus a Deo summo pontifici nuntiaret. Ex cujus perditione innumera mala christianis subsecuta sunt.

Non est silendum de fratre *Francisco de Trevio,* qui provinciam sancti Francisci tresdecim annis in multa tranquillitate, pace ac religiositate gubernavit. Hic omnibus populis erat acceptissimus praedicator.[1]

In *provincia Tusciae* claruit gemma praedicatorum, sanctus *Bernardinus de Senis.* Hic fuit primus frater nostrae familiae, qui sibi famam praedicationis fecerit singularem; de quo retulit mihi beatus *Massius de Aquila*[2] dicens: « Sanctus Bernardinus accessit per obedientiam ad Mediolanam civitatem et

---

ribus novis additis; pag. 141 de fr. Bartholomaeo de Jano dicitur: « Ob fidei ardorem ivit Constantinopolim, ubi graeca lingua apprime eruditus multas haereses ab illis extirpavit..... Demum in provinciam reversus magnam secum detulit librorum graecorum multitudinem, ut de graeco in latinum converteret, factusque suae provinciae S. Francisci vicarius eodem anno feliciter in Domino quievit et multa post mortem miracula fecit. » Cf. SBARALEA, l. c., pg. 112.

[1] Eum exhibet Robertus Liciensis inter magnos saec. XV prædicatores franciscales; in sermone « de sancto Bernardino, praedicatorum nostri temporis principe » dicit: « Frater Joannes de Capistrano, Jacobus de Marchia, Matthaeus de Sicilia, Antonius de Bitonto, Andreas de sancto Geminio, Joannes de Prato, Jacobus de Doncellis de Bononia, Herculanus de Perusia, *Franciscus de Trevio,* Silvester de Senis, Antonius de Arimino, Michael de Mediolano, Bartholomaeus d'Ayano, Antonius de Vercellis, Seraphinus de Gaeta, Cherubinus de Spoleto, Franciscus de Spoleto, Hieronymus de Florentia, Dominicus de Gonissa, Jacobus de Gallia, omnes fratres minores in hoc genere dicendi famosissimi » (*Sermones de Sanctis,* ed. Veneta, 1490, fol. 215r).

[2] De beato Massio (fr. Thomas de Cascina) agit B. Bernardinus in *Provinciae D. Bernardini Coenobia,* tertio loco.

50 praedicationes ibidem praedicavit, in quibus nullam acceptationem habuit; quinquagesimam primam vero fecit de gloria vitae aeternae, in qua quinquaginta ordines illius vitae felicis descripsit; et tota civitas Mediolani et adjacentes civitates Lombardiae igne Spiritus Sancti fuerunt accensae intantum, quod beatam se esse putabat, quae ipsum praedicantem mereretur habere. » Hunc audivi, cum essem puer, laudari; erat enim fama, quod quidam frater Bernardinus de paupere vita ducit secum duodecim socios ad similitudinem Jesu Christi, et omnes sunt sancti viri, et est ita excellentissimus praedicator, quod videtur angelus Dei. De hoc mihi retulit frater *Jeronymus de Florentia,* praedicator ordinis nostri, qui pluribus annis sancti Bernardini socius fuit; dicebat enim: « Vita sua erat irreprehensibilis; praedicationes suae erant ita accensae igne Spiritus Sancti, quod quandoque intra meipsum dicebam: hic non videtur homo, sed Angelus Dei. »

Hunc audivi Aquilae praedicare 12 praedicationes tempore, quo erat Aquilae rex *Renatus.*[1] Et quando in die Assumptionis Dominae nostrae praedicavit ante faciem ecclesiae sanctae *Mariae de Collemadio*[2] et assimilavit beatam Virginem stellae, et completa praedicatione stella quaedam in aëre apparuit intra horam tertiam et sextam, et totus populus vidit et miratus est, et ego vidi. De hoc viro non alia. Qui miracula et vitam et sanctitatem ejus vult latius intueri, pergat Aquilam et suae canonizationis processus aspiciat et videbit mirabilia Dei.[3]

Fuit etiam in Italia vir vita, doctrina et fama praeclarus, frater *Albertus de Sarthiano,* qui rex praedicatorum appellabatur a vulgo, quem mirabiliter praedicantem audivi, quem fratres

---

[1] In codice erronee « rex Raynerius; » fuit rex Renatus (1435-1442); cf. *Acta SS.* maji v, pg. 99 et 110. Factum evenit anno 1438 (ALESSIO, l. c., pg. 369).

[2] Ecclesia sanctae Mariae *di Collemaggio.*

[3] Processus nunc asservatur in archivo communali Aquilano, cf. CESARE DE LOLLIS, *Ricerche Abruzzesi,* l. c., pg. 53 sqq.

vocant beatum, quia miraculis fulsisse referunt; et in loco nostro sancti Angeli de Mediolano quiescit. Hic fuit magnus orator et plurimas epistolas scripsisse elegantissime constat.[1]

De patre nostro beato fratre *Joanne de Capistrano,* qui fuit maximus defensor, auctor et conservator nostrae familiae, quid dicam? Hic bonus homo puto, quod per 25 annos continuos familiam rexit.[2] De vita ipsius et sanctitate tota Italia, maxima pars Franciae et tota Ungaria clara testimonia perhibere possunt, in quibus tot et tanta miranda pro suis meritis[3] Dominus operari dignatus est. Vitam ejus venerabilis pater frater *Christophorus de Varisio* et venerabilis pater frater *Nicolaus de Fara,* qui in multis laboribus ejus socii fuerunt, laudabili modo scripserunt;[4] ideo de sua vita me aliter non intromitto. Unum tamen praeterire nolo. Quando locus Capistrani captus fuit, ego fui sibi parumper contrarius, sed postmodum memetipsum humiliavi et veniam petii; in quo facto duo inter alia notabilia didici: unum fuit: « Fili noveris, quod de mea natura callidior sum daemone; tamen post habitus susceptionem semper conatus sum puritatem ac simplicitatem sectari. » Reliquum dixit: « Ego sum superbior satana; tamen semper frater effectus me domare studui; unde ad meam superbiam edomandam, (f. 4v) cum Perusii morarer, in 4 mensibus septingentis vicibus disciplinam feci; recolo namque, quod quandoque septies in die faciebam disciplinam, ut meam cervicem superbissimam humiliare valerem. » Hic fuit in servitio Dei ferventissimus homo. Et tandem cum vexillo crucis in manibus, habita victoria nimium gloriosa contra Turcum juxta Danubium in *Belgrado,* ad vitam pe-

---

[1] Cf. HAROLDUS, *B. Alberti a Sarthiano Vita et Opera* (Roma, 1688), et SBARALEA, l. c., pg. 7.

[2] Non quidem qua vicarius generalis; sanctum Joannem Cap. a temporibus Martini V usque ad suam mortem inter primos duces familiae fuisse jam diximus.

[3] Codex « merita ».

[4] Vita prior habetur in *Acta SS.* oct. x, pg. 439-483, altera ibidem, pg. 491-545.

vennem transivit.[1] Quot vero et quanta miracula Deus operetur per illum, *Vilach* Ungariae, in qua corpus ejus requiescit, fidele testimonium perhibere potest.

Pater meus frater *Jacobus de Marchia*, qualis fuerit in vita, tota Italia, Ungaria, Bosna et Dalmatia perhibere possunt, in quibus miro modo verbum Dei praedicavit. Et in vita sua multis miraculis claruit et post mortem in loco *sanctae Mariae Novae*, ubi requiescit corpus ejus, in civitate Neapolis, clarere dicitur.[2] Hic fuit homo ferventissimus, et potissime tempore juventutis, et acceptissimus praedicator. Et multas persecutiones passus fuit ab aemulis religionis; et tamen ab ipsa religione optime fuit adjutus. Vocavi ipsum patrem meum prae ceteris, quia ipse mihi habitum religionis dedit in civitate Perusii. Ipse valde favorabilis fuit ad aedificium loci sancti Bernardini de Aquila, quia socius fuit sancti Bernardini, et post obitum ejus plures gratias ab ipso recepisse testatus est.[3]

Alius quidam frater *Albertus de Calábria* fuit vir utique in suis praedicationibus acceptissimus, bonae utique vitae et famae praeclarae. Et plurimi alii fuerunt viri Deo acceptissimi, quorum aliqui usque ad tempora nostra vixerunt, quos Deus gloria miraculorum ornavit, de quibus hic mentionem facere non intendo, quia res ista longiorem indaginem exigeret. Vitam vero beati *Philippi de Aquila* notavi tantum in sermone vulgari pro consolatione communi fratrum; sed miracula post mortem ipsius acta pro parte episcopus Sulmontinus notavit, pro parte vero fratres; et omnia habentur in loco *Sulmonae*, ubi corpus ejus requiescit.[4]

[1] Mortuus est die 23 oct. 1456.

[2] Obiit die 28 nov. 1476. Cf. de ipso NICOLAI, *Vita Storica di San Giacomo della Marca* (Bologna, 1876).

[3] Ipse mense julio 1454 primum illius basilicae lapidem posuit (cf. epistolam ab eo S. Joanni Cap. die 28 julii 1454 scriptam, apud NICOLAI, l. c., pg. 210, et in *Misc. Franc.*, t. II, pg. 77), ipsamque ex commissione pontificia multum promovit.

[4] Mortuus est fr. Philippus die 4 maji 1456. Quoad Vitam ipsius a B. Bernardino

Multorum itaque patrum supra memoratorum aliorumque plurimorum, quos enarrare longissimum foret, eloquentia, doctrina et sanctitate tota Italia commota fuit et in maxima devotione excitata. Demum aliae provinciae christianorum odorem sanctitatis ipsorum senserunt ita et taliter, quod jam tota christianitas quodam modo reformata videtur. Nam omnes religiones ad meliorem et sanctiorem vitam rediisse notum est tum propter miracula tum propter praedicationes tum etiam propter claritatem vitae. Haec autem omnia quod vera sunt, ipsa rei evidentia demonstratur. Omnis namque religio post obitum sancti Bernardini propter stupenda et multiplicia miracula, quae divina clementia ob merita sancti Bernardini operata est, ad frugem melioris et sanctioris vitae transisse clarescit. Hanc vero mutationem et provisionem puto, quod Dominus mundo facere voluit ad emendationem populorum, qui prius in multa caecitate vivebant, necnon ad advisationem multarum tribulationum, quas Deus mundo daturus erat propter sui nominis offensas innumeras. Quis enim narrare posset tribulationes, quas passa est christianitas novissimis istis temporibus? pestes, fames, angustias, guerras inter christianos, occisiones, terrarum destructiones. Quis quaeso sine lacrimarum effusione recolere vel narrare potest, quanta mala fecerit Machometus maledictus Turcus ecclesiae Dei? quot et quantas terras, patrias et provincias christianorum violenter obtinuit? quis narrare posset, quot milia christianorum vendidit et quotidie vendit? et utinam non sit venditurus in posterum! Quotidie contra christianos lucratur, et quod deterius est omnibus: ubi christiani per flagella continua emendari deberent, ibi continuo deteriores efficiuntur, ita quod propter eorum malam vitam Turcum ad ipsorum destructionem vocare videntur. Omnia praedicta mala et plura

lingua vulgari scriptam cf. introductionis § 2, quoad miracula *Acta SS.* maji I, pg. 548-552.

alia, quae narrare omitto, praedicti patres Domino inspirante populis praedixerunt, et parva emendatio facta videtur. Nam domini deteriores quam prius effecti sunt in omni genere musicorum; gravant contra justitiam subditos, vituperant et violenter capiunt subditorum filias, sorores et uxores; et sola, quae non possunt, mala relinquere videntur (f. 5r). Populi vero ut ajunt deteriores etiam videntur effecti. Unde ex vita, praedicatione et sanctitate praedictorum patrum infrascripta bona subsecuta videntur: videlicet quod plurimi ad religionem nostram et alias convolarunt, quod alii particulares saeculares in melius vitam mutarunt, quod omnes religiones ad meliorem vitam conversae videntur. Reliquum vero vulgus est ut ajunt in deteriorem vitam mutatum. Quid futurum sit, Deus novit.

De regimine et gubernatione familiae usque ad capitulum generale Paduae celebratum (1443).

CAPITULUM 7.

Frater Paulutius supradictus primus observator cum sociis habita gratia, quod in loco Brulliani posset suam regulam observare, regebat simpliciter sub obedientia generalis ministri et provincialis, et ab ipsis recipiebat auctoritatem administrationis sacramentorum, videlicet confessionis, communionis[1] fratrum, cum opportunum foret. Et consequenter illud idem concedebatur aliis fratribus, qui ad alias provincias et loca pergebant. Minister vero provincialis fratres familiae visitabat publice et private, secundum quod sibi videbatur. Hoc tamen bonum faciebat illis, quod de locis devotis non amovebat eos, sed in sua pace et quiete permittebat existere. Et sic ceperunt nova loca

[1] Codex « communitionis ».

de licentia et auctoritate summi pontificis et ministrorum. Tamen quia fratres erant pauci et multiplicari cupiebant, non sine magnis laboribus vivere poterant. Relatum mihi fuit, quod in provincia Romana in loco sancti Francisci de Fonte Palumba prope et extra civitatem Reatinam et in loco Grecii et in loco Podii de Bastone erat tantum unus frater sacerdos; et propter necessitatem vicarius sibi licentiam concessit, ut suam confessionem sacerdotibus saecularibus facere posset. Et in nocte Nativitatis Domini primam missam in loco sancti Francisci antedicti, secundam in loco Grecii, tertiam in loco Podii celebravit.[1]

Habebant insuper auctoritatem a ministris, ut congregationem facere possent et vicarium sibi eligere et guardianos instituere in congregatione praedicta; demum a ministris de omnibus, quae gesserant, confirmationem oportebat habere.[2] Et isto modo potestas vicarii nostrae familiae a ministro provinciae totaliter dependebat. Reverendissimus vero generalis pro tempore existens unum vicarium generalem super fratres familiae Italiae, secundum quod sibi videbatur, instituebat concedendo sibi auctoritatem fratribus opportunam. Et poterat talem vicarium ad libitum revocare et auctoritatem sibi concessam restringere et ampliare juxta beneplacitum ejus. Unde quando sanctus Bernardinus Aquilae praedicavit et completa praedicatione extra ecclesiam sanctae Mariae de Collemadio stella visa fuit, secundum quod supra retulimus, vicarius erat generalis fratrum familiae Italiae,[3] et pro quadam discordia, quae inter vicarium provinciae et reliquos fratres vertebatur, Aquilam venerat, juxta quod mihi fratres retulerunt; eram enim tunc puer. Discordia fuit magna, cujus principium et origo

[1] Sunt Fonte Colombo, Greccio ac Poggio Bastone.
[2] Cf. tabulam capitularem provinciae Tusciae de anno 1429, quam exhibet PAPINI (*Storia di S. Francesco*, t. I, pg. 252), qua ex. gr. habetur « Guardianus loci de *Columbario,* » qui conventus ex multis jam annis a fratribus familiae incolebatur.
[3] S. Bernardinus fuit vicarius generalis 1438-1442.

fuit propter *bizochas sanctae Elisabeth,* cum quibus vicarius multam familiaritatem habebat, quae fratribus erat exosa; nihil tamen inhonesti nisi nimiae familiaritates fuisse traditur.[1]

Ministri vero visitabant fratres et illis largissimas gratias faciebant, quae fratribus prudentioribus erant plurimum odiosae. Insuper quando inter fratres aliqua controversia contigisset, ad patrem ministrum oportebat habere recursum. Quando vero contingebat, quod aliquis minister esset retrusus sive accidiosus, quod facile contingere potest et contingebat, fratres erant maxime tribulati. Et quando minister erat contra fratres aliqua passione gravatus, quod saepissime contingebat, in maxima turbatione degebant. Ex his contigit, quod, licet familia diebus illis cresceret et multiplicaretur, parum tamen. In illis principiis mitiores et gratiosiores erant fratres conventuales cum fratribus familiae quam postea. Et notandum, quod fratres familiae in electione ministrorum provincialium sive generalis nullam vocem habebant et de regimine et factis ipsorum nullatenus se intromittebant. Hoc tamen erat grande malum, quod, qui volebant, facile poterant ad conventum transire. Et cum ista simplicitate familia vixit usque ad tempus capituli Paduani, de quo supra.[2]

Est etiam in capitulo isto notandum, quod illi primi fratres ad requisitionem et devotionem populorum confessores habere coeperunt; et secundum quod mihi (f. 5v) relatum fuit, nullum recusabant audire. Audio, quod sanctus Bernardinus dixerit: « Quodam tempore ego fui confessionum auditor et omnes confiteri volentes audiebam auditosque auctoritate, qua fungebar, absolvebam. Et semel eram in quadam cappella confessiones audiens, et erant duo fratres informatores ad ostium, et unusquisque ad aemulationem alterius suum amicum praemittere

[1] Cf. WADD. ad an. 1438, n. VII. — Bizochae heic vocantur sorores tertii ordinis a *B. Angelina da Marsciano* institutae; de initiis monasterii ad sanctam Elisabeth Aquilani cf. *Umbria Serafica,* ad an. 1433 (*Misc. Franc.,* t. IV, pg. 152).

[2] In nota dicitur « infra »; de capitulo illo agit caput nonum.

intro curabat. Semel fratres provinciae S. Francisci ad praeceptum domini Eugenii summi pontificis onus legendi casus conscientiae mihi dederunt in loco sancti Francisci de Monte extra Perusium.[1] Et cum legerem tractatum excommunicationum, studentesque intra se simul conferrent, pater guardianus, qui vocabatur frater *Gabriel de Spoleto*, vir utique sanctae vitae et rectae conscientiae, audiens saepissime conferre materiam excommunicationum, stimulatus stimulo conscientiae me saepissime molestabat dubitans, ne quid vinculum excommunicationis haberet, maxime quia illis primis temporibus confessiones audierat; tempusque illud tempus caecitatis vocabat dicens: tempore caecitatis talis mihi casus occurrit; et mecum conferebat, quae sana conscientia poterat salvo confessionis sigillo. » Postquam vero sanctus Bernardinus has materias confessionum praedicare et bene intelligere coepit, tot stimulos in mentibus fratrum immisit et rationabiliter, quod vix, qui confessiones audire vellet, de fratribus poterat inveniri. Et merito; est enim actus periculosus his potissime, qui casus conscientiae minime norunt, insuper est periculosus propter impraeparationem eorum, qui confitentur, et propter plurima, de quibus scripsi latius in Centurione in sermone de confessore.

Alia quoque onera fratres suis humeris imposuerunt sive imponi permiserunt, scl. monasteria monialium et loca plurima bizocharum, quae omnia non parvum laborem, imo maximas angustias fratribus dederunt, ut melius intellexerunt, qui fuerunt experti. Fraterna caritas bona est et magni meriti, tamen bona caritas a seipso dicitur incipere. Cura mulierum bona est et valde meritoria, sed gravis et periculosa.[2]

---

[1] Cf. *Umbria Serafica*, ad an. 1410 (*Misc. Franc.*, t. IV, pg. 156).
[2] Cf. MARCUS UL., l. c., p. III, l. 1, c. 39.

De reformatione ordinis per Martinum quintum attentata, sed minime obtenta (1430).

CAPITULUM 8.

Martinus quintus summus pontifex fuit mirabilis homo; nam tempore suo tota Italia in bona pace quievit; erat enim vir prudentissimus et tyrannorum inimicus. Ipse enim maximum tyrannum et inimicum ecclesiae, qui magnam partem terrarum ecclesiae et regni Siciliae violenter occupaverat, cum obsedisset per menses tresdecim Aquilanam civitatem et jam amplius illi resistere non valeret, *Bracchium* scl. *de Montone*, in subsidium dictae civitati mittendo exercitum ecclesiae debellavit; et in pugna letaliter vulneratus et tandem occisus fuit.[1]

Hic summus pontifex noscens vitam bonam et sanctam nostrorum fratrum et inter ipsos et conventuales forte nonnullas altercationes, totum ordinem sancti Francisci reformare curavit ad pacem, concordiam et unitatem omnium fratrum, honorem et pacem ecclesiae, bonam aedificationem populorum et suae conscientiae satisfactionem. Et in tanto negotio eo processit ordine, qui summo pontifici et in tali facto competere videbatur. Fecit namque generale capitulum Assisii congregari, in quo totus ordo convenit tam videlicet ultramontani quam citramontani fratres, tam conventuales quam de observantia nuncupati. Misit quoque sanctitas sua legatum quendam reverendissimum cardinalem nomine *Johannem*[2] cum plenitudine potestatis, ut tali tantoque negotio desideratum finem imponeret.

[1] De celeberrimo hoc Perusino Braccio de Montone, qui post multa bella gesta die 5 junii 1424 in obsidenda civitate Aquilana occubuit, cf. inter alios Io. Ant. Campanus, *Bracchii Perusini vita et gesta,* apud Muratori, *Script. rer. Ital.,* t. xix, pg. 431 sqq. — De magnis meritis, quæ Martinus V in restauranda pace et statu pontificio sibi obtinuit, cf. Pastor, l. c., pg. 209 sqq.

[2] Joannes *Cervantes,* tituli sancti Petri ad vincula.

Coeperunt itaque reverendissimus dominus cardinalis et fratres de dicta reformatione habere sermonem et constitutiones condiderunt, quae *Martinianae* vocantur et summi pontificis auctoritate confirmatae fuerunt.[1] Fratres quoque omnes in capitulo congregati illas servare promiserunt et, ut fortius ad id agendum adstringerentur, juramento firmaverunt. Prius tamen, quam de loco capituli moverentur, dictas constitutiones maturius intelligere voluerunt; cumque multa viderent, quae nulla ratione servare volebant, petierunt absolutionem a juramento et nullo pacto dictis constitutionibus obligati esse voluerunt. Reverendus vero dominus eorum voluntatem aspiciens pro meliori parte putavit ipsos absolvere, et sic a juramento et consequenter ab observantia constitutionum dictarum absoluti fuerunt.[2] Nostri vero fratres acceptarunt, tenuerunt, et nunc tenemus; imo quasi in omnibus capitulis generalibus confirmantur, ita tamen quod non obligent ad mortale. Et quia dictae (f. 6r) constitutiones pro totius ordinis reformatione editae fuerunt, hinc est, quod ibi multa tractantur, quae fratribus nostris nulla ratione convenire videntur, sed solum conventualibus pertinere constat. Et isto modo summus pontifex tentavit, quod obtinere non potuit.

In morte istius pontificis sol obscuravit circa vigesimam secundam horam ita et taliter, quod corviculae in campis existentes cum planctu magno ac festinantia ad silvam redire curabant, quasi praeter spem essent a morte praeventae, prout oculis meis vidi et fixum mente teneo.[3]

---

[1] Habentur apud WADDINGUM, ad an. 1430, n. VII-XXIII.

[2] Eadem ex MARIANO MARC. UL., l. c., p. III, l. 1, c. 49, ac WADD., l. c., n. VI et XXIV fusius referunt. Cf. GLASSBERGER, l. c., pg. 289, et *pro parte conventualium* BENOFFI, l. c., pg. 167 sqq.

[3] Cf. *Fragmenta Fulginatis historiae,* l. c., pg. 896: « 1431. Memoria, che a dì 12 di febraio a 21 ora, e fu il lunedì di carnevale, si scurò il sole tanto, che pareva notte scura, e l'occhio del sole si fece nero come un tizzone. E quel dì voltò la luna. Di marzo morì papa Martino V. »

Et quia reformatio ordinis locum habere non potuit, quia patres conventuales acceptare noluerunt, fratres familiae in eadem gubernatione et obedientia ministrorum ut prius remanserunt; et ita usque ad capitulum Paduae, de quo infra, gubernati fuerunt.

Qualiter summus pontifex Eugenius quartus totum ordinem minorum reformare voluit et minime potuit (1443).

CAPITULUM 9.

Eugenius papa *quartus* nostrae familiae fuit singularis amicus, fautor et auctor. Hujus temporibus fuit schisma, eoque ultra montes creatus fuit alius papa, nomine *Felix*, qui fuit annullatus justo Dei judicio, quia male ingressus fuit. Hujus temporibus valentissimi homines Graecorum ad Italiam venerunt sponte missi, ut articulos disputarent, quibus ecclesia Graecos haereticos tenet, et praecipue de processione Spiritus Sancti. Tandem per sex menses disputaverunt Florentiae et victos se esse confessi sunt. Et cum redirent in Graeciam et tota ecclesia laetaretur de ipsorum reductione, nihil actum extitit; imo ut aiunt vix mortem disputatores, quia victi erant, evadere potuerunt; et ita Graeci in sua haeresi remanere voluerunt et postea a Turcis subjugati sunt. Hujus temporibus missi venerunt Indi, quos Perusii honorifice susceptos cum sonitu campanarum et occursu civium equestrium mandato summi pontificis receptos vidi.[1]

Hic summus pontifex habita notitia, quod Martinus bonae memoriae, praecessor ejus, ordinem reformare voluit et tamen obtinere non potuit, Spiritu Sancto inspiratus ipse etiam idem tentavit. Ut igitur hanc reformationem commodius facere posset,

[1] Cf. Wadd. ad an. 1441, n. I.

prudentissime cogitavit facere unum sufficientissimum fratrem generalem ordinis, qui esset vir utrique parti conventualium et observantium communis, pater utique doctus et conscientia serenus. Et ideo cogitavit praeficere ordini fratrem *Albertum de Sarthiano,* de quo supra scripsi, qui fuit a principio de conventualibus et postea ad observantiam transivit, et ita erat vir utrique parti communis. Erat insuper peritissimus homo et potissime in theologia. Erat etiam singularissimus praedicator et in suis praedicationibus acceptissimus; nam cum *Guerimus* Ferrariae legeret artem oratoriam et eodem tempore praedicaret Albertus, summo mane legebat scholaribus et completa lectione dicebat: « Audistis theoriam, accedamus ad practicam, » et ita cum scholaribus ad hujus viri praedicationem pergebat.[1] Erat etiam vir utique bonae conscientiae, ita quod Mediolani dicitur *beatus Albertus,* eo quod post mortem miraculis claruit.[2]

Et summus pontifex misit hunc fratrem Albertum Paduam et munivit eum litteris et gratiis opportunis putans, quod de talis viri praelatione totus ordo contentus existeret. Sed satana in contrarium operante nihil papa facere potuit; imo totum capitulum conventualium hac provisione percepta in seditionem conversum fuit in tantum, quod plerique de fratribus nostris, ut fama est, verberati fuerunt.[3]

De isto capitulo miranda persensi. Nam cum esset totus ordo Mediolani capitulariter congregatus,[4] advisati fuimus, quod illud capitulum Paduano simile foret, nisi fieret provisio. Accessimus ad illustrissimum ducem Franciscum recitantes narrata, qui dixit: « Non credo; cum generali locutus sum; » et adjecit: « Nollem pro toto mundo, quod in civitate mea con-

[1] Cf. HAROLDUS, l. c., pg. 16.

[2] Mortuus est die 15 aug. 1450. De miraculis et fama sanctitatis ipsius plura apud HAROLDUM, l. c., pg. 74 sqq.

[3] Cf. GLASSBERGER, l. c., pg. 307.

[4] Anno 1457.

tingeret, quod in capitulo Paduano contigisse refertur. » Hoc auribus meis audivi. Et cum fratres instarent, dixit: « Iam dixi vobis: non credo; tamen *ecco mi!* » Puto, quod, si fratres voluissent, pro nostra defensione magnum exercitum praeparasset.

Istud capitulum fuit mala fama famosum propter plurimas contentiones et propter inobedientiam pontificis. In isto capitulo omnes nostrae familiae principaliores fratres fuerunt; et omnes, ut frater Albertus secundum voluntatem pontificis praeficeretur, communiter consenserunt. Sanctus vero Bernardinus, qui erat vir gravis in actibus suis, cernens periculum noluit consentire, et quia nostrae familiae judicabat esse damnosum; (f. 6v) cujus occasione quasi fuit a fratribus nostris solus relictus.[1] Hic summus pontifex nostram familiam tanquam pater in Christo diligebat, multas gratias multosque favores familiae dedit; et tempore suo in curia fratres in bona reputatione habebantur, et ut melius fratres suas satisfactiones haberent, ordinem dederat, ut dominum *Arsenium* et dominum *Matthaeum* suos carissimos pro quodam refugio tenerent.

Istius capituli Paduani historiam a praedicto patre fratre Alberto intellexi. Nam cum esset ab aemulis infamatus tanquam honoris cupidus et ambitiosus,[2] seipsum in suis praedicationibus excusare consueverat, quod provisio de se facta non ex ambitione, sed ex simplici obedientia processerat, quia summus pontifex volens ordinem reformare se retinentem et quasi invitum praeficere intendebat. Unde cum semel praedicaret in platea Perusina juxta ecclesiam sancti Laurentii, quia in illa civitate fuerat infamatus, historiam capituli antedicti ferventissime recitavit. Et quia erat homo facundus et eloquens et

[1] Cf. *Memoriale ordinis minorum* (in *Speculum minorum seu Firmamentum trium ordinum*, ed. Veneta, 1513), fol. 37r.

[2] Idem Benoffi, l. c., pg. 181, dicens: « Vedendosi perciò Alberto in auge si sentì disposto col favore pontificio di aspirare al generalato. »

in suis praedicationibus aliquantulum effrenatus de vita et moribus conventualium, a quibus se infamatum putabat, mordaciter tetigit. Quidam vero magister in theologia conventualis ad suam praedicationem audiendam convenerat, qui audiens illum bonum virum ita ferventer se defendentem et conventuales mordentem, tanta poena et mentis confusione turbatus erat, quod prae angustia in sudorem totus videbatur esse conversus. Plura, quae dixit mente teneo; sed melius esse tacere, quam scribere censui. Illo tempore frater eram, sed juvenis et paulo ante professus. Et in veritate illi patri magistro fui compassus, et judicio meo plus quam oporteret contristabatur; poterat enim mitius dissimulare.

De novo modo regiminis nostrae familiae post capitulum Paduanum.[1]

CAPITULUM 10.

Quia in capitulo Paduano nihil boni pro nostra familia factum fuisse constat, principaliores nostrae familiae fratres de loco capituli recesserunt et ad civitatem Senarum, ubi tunc curia residebat, se contulerunt. Principalior tamen et acutior omnibus erat pater noster nunc beatus Joannes de Capistrano, qui summo pontifici totique curiae Romanae acceptissimus erat. Petita denique et obtenta audientia summi pontificis omnia, quae in capitulo gesta fuerant, plenissime retulerunt, de quo summus pontifex maximam admirationem accepit. Supplica-

[1] Cf. Glassberger, l. c., pg. 308 et 316, ac Benoffi, l. c., pg. 181-183; apud Wadd. ad an. 1443, n. vii, habetur bulla Eugenii IV « *Fratrum ordinis minorum*, » et ad an. 1446, n. ii, bulla « *Ut sacra ordinis minorum*; » bulla priore Eugenius IV ratum habuit actum fr. *Antonii de Rusconibus* ministri generalis, quo duos vicarios generales familiae instituerat; altera providit, ut « eadem institutio futuris temporibus perseveret. »

verunt itaque fratres dicentes: « Beatissime Pater! cum ista hominum generatione nulla ratione concordare valemus. Novit Sanctitas Vestra, qualem provisionem bonae memoriae Martinus quintus fecerit; novit, qualem Sanctitas Vestra fecerit; supplicamus eidem Sanctitati Vestrae, quatenus libeat de opportuno remedio providere. » Summus vero pontifex justae petitioni pauperum fratrum solita miseratione compassus annuit. Facta demum supplicatio fuit atque signata; et secundum quod beatus pater asserebat, quaecumque circa hoc gesta fuerunt, nota erant reverendissimo domino protectori.[1]

Ad bonum commune hic deberent ad litteram scribi bullae Eugenii; tamen aliqua, quae nunc recolo, ponam succincte. Beatus pater frater Johannes de Capistrano erat optimus canonista, prout opera sua, quae condidit, bene demonstrant; erat insuper valde practicus de gestis Romanae curiae, necnon optimus observator regulae suae. Unde cogitavit favente domino nostro et summo pontifice facere bullas, in quibus potestas generalium et provincialium ministrorum circa familiam restringeretur et tanta potestas daretur eisdem, quanta sufficere posset, ne ordo divisus esse posse monstraretur. Et ita factum fuisse monstratur in bullis. Tamen de hoc puncto latius inferius dicturi sumus.[2]

Primo enim in bullis cavetur, quod generalis minister vicarium generalem nostrae familiae visitare possit et, si invenerit ipsum depositione dignum, de consilio et assensu quatuor proximorum vicariorum nostrae familiae illum deponere possit. Item quod vicarius generalis electus facta electione pro confirmatione ad generalem mittatur et confirmatio petatur; qui si infra triduum confirmare noluerit, apostolica sit auctoritate confirmatus. Item quod loca fratrum valeat visitare; et si quem

[1] 1439 institutus erat ordinis protector *Julianus Cesarini*.
[2] Cap. 18.

fratrem invenerit punitione dignum, punire valeat, intra locum dumtaxat et non extra. Et additur, quod de nullo alio se (f. 7r) intromittere valeat. Similiter confirmatio vicarii provincialis a provinciali ministro petatur, et de nullo alio se impediat. Item quod familia possit per se facere congregationem generalem, secundum quod regula dictat, et vicarium generalem eligere possit. Plura alia dicuntur in bullis, quorum non sum memor.

Ista tamen innovatio vivendi patribus conventualibus valde fuit exosa et plerisque curialibus et praecipue de congregatione generali; unde multorum jurgiorum et contentionum causa fuit, de quibus infra. Et sic post bullas praedictas Eugenii familia valde fuit a potestate conventualium exonerata et novum vivendi modum accepit, et sub isto modo vivendi superveniente fama miraculorum sancti Bernardini, qui post capitulum Paduanum obiit,[1] familia nostra mirabiliter aucta fuit. Valde itaque obligati sumus tanto patri et summo pontifici Eugenio, qui huic familiae talia tantaque beneficia sua benignitate concessit.

Quia vero bullae praedictae novam provisionem fecerunt, novus regendi modus fuit introductus. Fratres enim generalem congregationem facere coeperunt et cum generali parum, cum provincialibus vero ministris nihil aliud faciunt, nisi quod vicarii confirmationem petunt. Et si quis fratrum familiae sine licentia sui praelati sub obedientia illius accedere voluisset, si praelati familiae repeterent, sub poena excommunicationis latae sententiae reddere cogebantur. Iste punctus inter utrosque, fratres conventuales videlicet et observantes, maximam guerram concitavit.

Sub isto vivendi modo post dictum capitulum Paduanum et obitum sancti Bernardini vivente Eugenio summo pontifice a patre reverendo fratre Jacobo de Marchia Perusii ad ordinem

[1] Obiit die 20 maji 1444.

receptus fui. Et tunc nostra familia erat in maximo praedicamento; et pater meus frater Jacobus in tanta erat devotione populorum, quod vix credi potest. Vivebat etiam reverendus pater frater Johannes de Capistrano, cujus intercessione frater reverendus *Jacobus de Primaditiis,* tunc vicarius generalis,[1] ut ad hanc provinciam redirem, mihi obedientiam fecit.

Sub isto regimine pater frater Johannes de Capistrano vicarius generalis existens fratri devoto Francisco de Pavia, ut a Deo posceret, quid de ista familia futurum esse deberet, per obedientiam praecepit. Responsum accepit a Domino, quod in brevi fratres in magna conquassatione esse deberent,[2] et ita fuit, secundum quod infra dicetur.

Ad gloriam et honorem Dei et Domini nostri Jesu Christi, exaltationem sanctae fidei et consolationem hujus pauperculae familiae nonnulla referam de canonizatione sancti Bernardini (1450).[3]

CAPITULUM 11.

In civitate Aquilae tempore bonae memoriae Eugenii antedicti sanctus Bernardinus de Senis ordinis minorum de familia scl. observantium nuncupatorum ex hac vita transivit, et divina potentia et pietate operante multis miraculis clarere coepit; et tota Italia commota est ad suorum miraculorum claritatem auditam. Bonae memoriae Eugenio defuncto *Nicolaus quintus* papa creatur, ad aures cujus miraculorum sancti Ber-

[1] Codex « Primititiis »; electus est Romae an. 1446 (cf. WADD. ad an. 1446, n. IV), ipsique successit 1449 S. Joannes Cap. (cf. WADD. ad an. 1449, n. XVI).

[2] Cf. WADD. ad an. 1449, n. XXV et XXVI.

[3] De hac solemnitate multi illius temporis chronistae retulerunt; cf. PASTOR, l. c., pg. 419 sqq.

nardini, quae quotidie augebantur, fama pervenit; de canonizatione sancti requiritur, in qua cum debita maturitate processit. Demum pater reverendus beatus frater Johannes de Capistrano, Romanae curiae et omnibus fere fidelibus acceptissimus, sollicitudinem canonizationis debita maturitate suscepit. Summus pontifex requisitus et conscientia stimulatus, quia quotidie miraculorum fama crescebat, examinationem vitae et miraculorum causam dignis et reverendis viris domino *Johanni de Palena*, episcopo Pennensi et auditori rotae, et domino *Angelo de Capranica*, episcopo Reatino, qui postea sacrae Romanae ecclesiae extitit cardinalis, apostolica auctoritate commisit;[1] hi vero reverendi viri causam debita maturitate tractarunt. Tempore indulgentiae sanctae Mariae de Collemadio extra civitatem Aquilanam praesens fui in examinatione duorum mortuorum, quos resuscitatos fuisse divina potentia ob merita sancti Bernardini testati fuerunt, quorum unus erat praesens puer quinque annorum de comitatu Aquilae, altera femella similis aetatis de Civitate Regali.[2]

In ista denique canonizatione pater beatus frater Johannes de Capistrano tot labores, tot sudores atque angustias sustinuit, quod, qui (f. 7v) non vidisset, extimare non posset; et quia certitudinem canonizationis a summo pontifice habere non poterat, supra modum erat afflictus. Erant factae expensae quatuor milium ducatorum pro variis ceremoniis, quibus ecclesia utitur in canonizatione sanctorum, et nihil certi potuit habere usque ad vigiliam Pentecostes tertia hora noctis; illo tempore audientiam habuit.[3] Et summus pontifex longum ser-

---

[1] Joannes de Palena fuit episcopus Pennensis 1433-1454 (EUBEL, l. c., pg. 237); Angelus de Capranica fuit 1447-1450 episcopus Asculanus, 1450-1469 episcopus Reatinus, ac 1460 ad S. purpuram promotus (cf. EUBEL, pg. 237 et 13).

[2] Cf. *Acta SS.*, l. c., pg. 103.

[3] Post capitulum die 18 maji 1449 celebratum S. Joannes Cap. Nicolaum V Spoleti degentem adivit (WADD. ad an. 1449, n. XIX).

monem fecit, in quo animum ejus suspensum tenuit et semper ad partem negativam videbatur inclinare; demum conclusit deliberationem factam, ut canonizaretur. Tunc pauperculus pater miro modo coram summo pontifice lacrimari coepit, cui summus pontifex inquit: « Frater Johannes! habuisti timorem? » cui pater: « In veritate, nunquam similem habui, ut canonizaretur. » Fuit conclusum hoc pacto, ut non canonizaretur cum nomine Jesu, quia pinguntur plures figurae sancti et in columnis appenduntur ecclesiae. Dixit pater: « Canonizetur de nomine Jesu; fiat, ut Vestrae Sanctitati placuerit. »[1]

Tanti quoque laboris et angustiae invidorum obstaculum causa fuit; persecuti fuerunt in vita, nec persequi cessaverunt in morte. Et tamen divina sapientia hoc modo disposuit, ut scilicet canonizatio sancti tanto fieret gloriosior, quanto cum majori labore ad effectum veniret. Puto salva veritate, quod nunquam aliquis sanctus cum tanta gloria Dei et catholicae fidei sanctorum catalogo fuerit adscriptus, non sine ratione. Primo quia ea die fuit adscriptus, qua Spiritus Sanctus super discipulos Christi in forma linguarum ignis visibili forma descendit, ut divina sapientia hoc signo monstraret, quod lingua sancti hujus virtute Sancti Spiritus ignita corda populorum ignis divini incendit amore, quo tota fidelium turba ad divinum accenderetur amorem, secundum quod tota Lombardia et multae partes Italiae testari possunt. Secundo quia eo tempore facta fuit, quo generale capitulum Romae fuit celebratum, in quo tanta fratrum multitudo convenit, quod primis ingredientibus ecclesiam sancti Petri adhuc ultimi erant in Ara coeli, et omnes processionaliter incedentes divinas laudes cantabant.[2] Et tot ce-

[1] Cf. ALESSIO, l. c., pg. 253, cap. XXII « *San Bernardino e la causa del nome di Gesù.* »

[2] Numerus fratrum, qui Romam convenerant, diverso modo indicatur; cf. WADD. ad an. 1450, n. I: « Soli minoritae erant ter mille octingenti, alii supra quinque millia recensent; » ROB. LICIENSIS ex. gr. l. c., fol. 215r: « In generali capitulo fratrum

remoniae totque solemnitates factae fuerunt, quod inter nonas et vesperas diei Pentecostes expletae fuerunt, licet summo mane inceptae. Tertio quia anno Jubilaei, scilicet 1450, facta fuit, ubi ratione indulgentiae et solemnitatis Pentecostes tanta fidelium turba fuerat aggregata, quod vix victualia ad sufficientiam poterant haberi in civitate Romana. Pro parte mea vix angustiosiorem diem toto tempore vitae mea habuisse me recolo; ecclesiam ingressi fuimus, nec postea exire valuimus, ita plena erat sancti Petri ecclesia: Italici, Francigenae, Catalani, Hispani, Ungari et Burgundi, saeculares et fratres, monachi et eremitae et omne genus hominum eramus mixti et ita stricte conjuncti, quod nemo se solum movere poterat, sed omnes movebamur nunc infra, nunc supra, ita quod prae lassitudine jam spiritum exhalare videbamur. Omnes vero mansiones et planities ante ecclesiam sancti Petri ita erant plenae, quod granum milii supra populum jactatum vix in terram cadere potuisset. Nescio, quis tantam hominum multitudinem numerare valuisset, ita quod fama canonizationis sancti Bernardini ad omnes fidelium partes sine fallo transivit.

De capitulo generali Aquilae in sancto Juliano celebrato, in quo plurima contigerunt, quae necessario narranda videntur (1452).

CAPITULUM 12.

In *sancto Juliano* extra civitatem Aquilanam post canonizationem sancti Bernardini generale capitulum extitit celebratum, et pro necessitatibus fratrum ratione arctitudinis loci debita convenientia haberi non poterat; propterea fratres provinciae cum patribus generalis capituli tractarunt, ut capitulum fieret

minorum convenerunt ultra quinque millia fratrum. Et ego de ipso post canonisationem sermonem ad populum habui. »

in civitate in conventu *sancti Francisci,* quem patres conventus benignissime obtulerunt. Patres vero capituli generalis omnes unanimiter responderunt dicentes: « Potius in sancto Juliano volumus — per modum loquendi — esse mortui, quam in conventu intra civitatem vivi. »[1] Et ita in sancto Juliano factum fuit. Et capitulum generale in nostra familia meo judicio nunquam devotius actum fuit, in quo dominus Antonius de Gallioffis, civis Aquilanus, honorifice vestitus, doctor et miles, pulchrum sermonem fecit.

In isto capitulo aliqua contigerunt, quae silentio praeterire non convenit. Frater *Robertus de Leccio*[2] in illo capitulo fuit, et frater *Johannes de Vulterra.* Hi ambo inflati fuerunt et conquesti, quod in illo capitulo debitus eis (f. 8r) honor non fuit exhibitus, cujus rei veritatem ignoro, maxime quia in nostra familia tales honores non consueverunt inquiri, et quia ratione juventutis et modicae practicae, quam tunc religionis habebam, tunc minime consideravi. Et horum indignatio, quantum nosse datur, generalis et particularis fuisse videtur. Hujus rei signum hoc eventu cognoscitur. Frater Robertus antedictus, jam valde famosus praedicator, cum mira acceptatione in Aquilana civitate praedicaverat. Completo vero capitulo cives Aquilani pro suo praedicatore in futura quadragesima, quae proxima erat, fratrem Robertum instantissime postularunt. Fratres vero capituli, vicarius videlicet generalis et definitores, fratrem Robertum indignatum cernentes fratrem *Antonium de Bitonto,*[3] qui absens erat et praedicator eximius, obtulerunt; cives vero instantes omnino fratrem Robertum habere voluerunt. Fratres

[1] Cf. epistolam, quam S. Joannes Cap. ad cives Aquilanos ex Egburga die 10 oct. 1451 scripsit (WADD. ad an. 1451, n. XXXVII).

[2] De ipso plura capitulis sequentibus.

[3] Cf. de ipso SBARALEA, l. c., pg. 71; et cod. XV. F. 60 (s. XV) bibliothecae nationalis Neapolitanae, quo « fratris *Gabrielis Veronensis,* ord. min., ad R. P. fratrem Marcum de Bononia ejusdem ordinis vicarium generalem epistola consolatoria super obitum praestantissimi fratris Antonii de Bitonto; » obiit die 25 sept. 1459.

rogant fratrem Robertum, ut capitulo velit hanc gratiam facere pro satisfactione Aquilanorum, a quibus tot et tanta dona receperant. Negat instantissime allegans, quod R. P. generalis alibi se praedicaturum promiserat, et nullo modo nullaque ratione jam indignatus voluit obedire. Inde scandalum fuit exortum, quod cives Aquilani in illa quadragesima sine observantiae praedicatore steterunt; et cum fratribus provinciae fuerunt non sine ratione conquesti. Ex illo tempore in posterum frater Robertus taliter indignatus ostenditur, quod nunquam recte nobiscum incessit, sed his, a quibus ad nos venerat, conventualibus adhaesit, et multa contra familiam fuit non sine suo et aliorum damno molitus.

Frater Robertus antedictus jam famosus praedicator effectus Aquilam praedicaturus a patre fratre Johanne de Capistrano vicario generali missus praedicare cum maxima acceptatione incepit et se parum vel multum staturum juxta populi devotionem promisit; deinde ad suggestionem cujusdam sui socii mutavit propositum. Ego vero videns scandalum populi et suam confusionem et fratrum dulciter illum confortabam allegans obedientiam, quam promiserat; respondit: « Ego patri vicario generali, nisi in quantum voluero, obedire non teneor; breve domini nostri hanc mihi gratiam facit. »[1] Haec omnia patri beato Johanni adhuc vicario generali retuli; pater pius cum dolore cordis dixit: « Iste pauper juvenis malum finem faciet. » Iterum Aquilam praedicaturus advenit. Prima vice quinque vel sex praedicationes fecit et totum populum mirabiliter commovit et quasi scandalizatum non servata promissione reliquit; secunda vice aestivo tempore cum incredibili

[1] Breve hoc fratri Roberto a Nicolao V die 30 maji 1451 concessum videsis apud WADD. ad an. 1451, n. XXIV; Wadd. dicit: « Datum Romae anno MCCCCLIV, » sed in hoc et in alio, quod apud Wadd. sequitur brevi (n. XXV), legendum est: « anno MCCCCLI; » cf. FERMENDZIN, *Acta Bosniae* (Zagabriae, 1892), pg. 211, quo loco breve secundum cum anno 1451.

acceptatione praedicavit. Nam quidam civis dixit mihi: « Si frater Robertus ad praedicandum tempore quadragesimae ad hanc civitatem venisset, omnes cives cunctis relictis cum cunabulis et uxoribus post eum fuissemus egressi. » Hanc acceptationem pauperculus suis virtutibus suisque meritis videbatur imputare, et non divinae gratiae propter merita et lacrimas pauperum fratrum, qui in cellis locorum et de secretis suis lacrimis et devotionibus peccatorum conversionem a divina impetrant pietate; ideo meruit esse pro superbia sua confusus, nam, postquam fuit a familia separatus, Domino displicuit et nullum fructum bonorum operum fecit. Hoc pro certo magnum signum est dilectionis, scilicet quod Deus et Dominus noster hanc familiam magno amore diligat, quod nunquam aliquis, qui ab ista familia recessit, bonum fructum fecit; et si fecit, parvus evidentia rei ostenditur.[1] Post dictarum praedicationum tempora capituli celebratio fuit,[2] et consequenter indignatio antedicta.

Frater vero Johannes de Vulterra putans se non esse honoratum secundum judicium suum contra familiam scandalum aliquod excitasse non novi, sed de fratribus murmurasse persensi. Demum conventualibus adhaerendo in priori et ampliori praedicamento se futurum esse credebat; sed vana fuit cogitatio sua, imo omnem famam omnemque reputationem perdidit. Unde post hoc a generali missus Aquilam praedicaturus advenit, in qua prius in familia existens singularem acceptationem habuit et plerosque juvenes ad habitum religionis accepit; sed postea a generali missus in conventu sancti Francisci praedicabat, et venerabilis pater frater *Dominicus de Gonissa* in platea et horto sancti Thomae juxta ecclesiam sanctae Mariae de Asserico.

---

[1] Cf. sententiam *Cosimi Medici* apud MARC. UL., l. c., p. III, l. 3, c. XL.

[2] Dictas praedicationes igitur Aquilae habuit fr. Robertus anno, qui est inter diem 30 maji 1451, quo illud acceperat breve, et diem 27 maji 1452, quo capitulum illud celebratum est.

Campanam non habens ad sonandum praedicans populo dixit: « Nos, ut videtis, ad convocandum populum ad praedicationem campanam non habemus, quia dominus episcopus commodare non vult; ideo in conventu sancti Francisci ultima pulsatione completa incipiam praedicare (f. 8v); ideo tunc venite. » Mirabile, quod tota civium multitudo conveniebat ad eum in mirabili patientia audiens verbum Dei; et vix quisquam ad fratris Joannis praedicationem volebat accedere. In conventu campanam sonabant, et ad sanctum Thomam multitudo currebat. Et si campanam sonare noluissent, vix lapidatores evadere potuissent. Et noto divinum miraculum, quod tota illa quadragesima praedicavit in clivo, et divina operante virtute tale tempus fuit, quod nulla unquam praedicatio fuit impedita neque a pluviis neque a nivibus neque a ventis, sed usque ad finem mirabili acceptatione mirabilique civium ac fratrum consolatione perducta.

Et quia legentium mentes non declaratae possent ad nonnullas fantasias converti, noverint universi, quod fuit quidam comes *Montorii,* civis Aquilanus praeeminens, qui quandam indignationem contra nostros fratres accepit injuste, quia fratres in rei veritate non fuerunt in culpa. Hujus occasione operatus fuit cum patribus conventualibus, quibus erat amicus, ut frater Johannes praedictus jam conventualis effectus Aquilam ad praedicandum veniret, sperans quod esset populo acceptus, et consequenter corpus sancti Bernardini, quod tunc in conventu quiescebat, nobis auferret et patribus conventualibus regendum, conservandum et honorandum traderet; ideo fratrem Dominicum a civibus et fratribus praedicatorem procuratum impediret, ne in Aquilana civitate praedicaret; aliter suum obtentum minime obtinere valeret. Iniquam cogitationem habuit: isti fratres locum praedicationis non habent, quia conventus fratri Johanni traditus est; foedus cum domino episcopo feriam, ut nullam sibi ecclesiam commodet; et isto modo victor existam. Sed nulla astutia contra Dominum valere potest. Nam hospi-

talarii *sancti Joannis* nobis commodaverunt ecclesiam *sancti Thomae,* et Domino disponente bene populo extitit satisfactum. Dominum episcopum multis precibus et humilitate rogavimus rogarique fecimus, ut, postquam aliquam suam ecclesiam comodare nolebat, saltem campanam *sanctae Mariae de Asserico,* quae sancto Thomae vicina est, possemus pro praedicatione sonare, et nulla ratione voluit; tunc Domino inspirante praedicta determinatio habita fuit. In ecclesia aliena cum campana aliena, in loco discoperto, ventoso et patenti praedicare necesse fuit; et tamen bonus Deus de multis contrarietatibus multa bona collegit. Fuit enim mirabiliter acceptus et consequenter bona plurima operatus; familiaeque adversarii mirabiliter fuere confusi, et tota civitas una cum fratribus mirabili fuit consolatione repleta.

In isto capitulo congregati simul magister *Seraphinus de Gaeta,* vir utique valens et bonus,[1] frater *Barnabas de Interamnes,*[2] et plerique alii fuimus. Et magister Seraphinus ait in communi sermone respondens: « Vere puto, quod ordo minorum nunquam in tanta fuit reputatione constitutus. » Hoc verbum fuit magnum et praesumptuosum, quia tempore beati Francisci et sociorum quaedam videbatur esse schola sanctorum. Tamen in maxima tunc erat reputatione; hinc miracula sancti Bernardini, illinc praedicatorum acceptationes, ex alio latere exemplaris vita fratrum, ita quod totius ecclesiae videbatur exemplar. Et adjecit magister Seraphinus: « Unum deest nostrae familiae, scl. studium litterarum, » cui contradiximus omnes. Ego vero ceteris praesumptuosior dixi: « Cum secundum te ordo minorum nunquam apud saeculum in tanta reputatione fuerit, et constat, quod hactenus in familia studia minime fuerunt, ergo clarum est

[1] Fr. Gabriel Veron. in epistola consol., l. c., fol. 10v: « Praetereo seraphicum illum Seraphinum, qui veluti ardens facula corda incendere videbatur auditorum; » cf. Sbar., l. c., pg. 656.

[2] Cf. de ipso Marcus Ul., l. c., p. III, l. 5, c. XLIX et L, ac Sbar., l. c., pg. 109.

melius esse studia non habere; » quod dictum ab omnibus extitit commendatum, et addidi: « Nunquam in familia docti defuere viri; Dominus enim doctos de saeculo ad religionem vocat, et sine suo labore defensores habet. Vacent ergo fratres orationi, devotioni et divino cultui; et ipse Dominus familiam suam defensat et auget. »

In isto capitulo reverendus pater frater *Marcus de Bononia* generalis vicarius fuit electus.[1]

Quomodo familia fratrem Robertum de Leccio exaltavit in altum.[2]

CAPITULUM 13.

In *provincia Apuliae* quaedam mulier gravida votum vovit Domino et beato Francisco, quod, si filium pareret, beato Francisco i. e. ordini suo traderet; parit filium, quem vocat Ro-

[1] Pro prima vice fuit vicarius generalis 1452-1455. Cf. de ipso WADD. ad an. 1478, n. XIV sqq; cultum ipsius approbavit Pius IX, festumque agitur die 61 martii.

[2] Ad ea, quae sequuntur, pauca notantur. De eloquentia singulari fratris Roberti omnes conveniunt, eamque optime ostendit factum, quod solo saeculo XV circa 80 editiones sermonum ipsius prodierunt (*Misc. Franc.*, t. IV, pg. 100). De vita vero et moribus ipsius alii aliter judicant. Aliqui laudant ejus virtutes; inter quos *Antonellus Coniger* « gentilhuomo leccese » in suo *Chronico* (finito 1512) ad an. 1495, pg. 32, scribit: « Die 6 madi 13 inditionis die Mercuri al hore tre di notte in lo convento di san Francesco de l'ordine de frati minori in la Cetà de Lecce fo morto lo R. fra Roberto Caracciolo de Lecce, Prencipe de Predicatori, Paulo novello, Episcopo de Aquino, e era d'anni settanta; fo annonciatore de verbo divino anni cinquanta doi senza mai trovarseli uno minimo scropulo di fallancia... mai alli audenti soi in fastidio, facia piangere e ridere, quando lui volia...; quantunque era Episcopo d'Aquino, quando vedeva li frati haver necessario in convento, semettea la sacca in spalla, e giva mendicando per lamore di Dio, e più opere, quali vanno in stampa per tutto lo mondo, e 'l beato suo corpo dimora in san Francesco » (*Raccolta di varie croniche appartenenti alla storia del Regno di Napoli*, t. V, Napoli, 1782). — Aliqui eum ob plures defectus vituperant. B. Bernardinus reprobat cum aliis ejus inconstantiam et ambitionem. SBARALEA, l. c., pg. 636 ad haec: « A regul. observ. ad min. conventuales transiit, *quamobrem infensos habuit partis adversae calamos*, ut *Mariani*, *Raphaelis Volaterrani* a Mariano decepti et *Marci Ul.* alios exscribentis, quos perindigne non puduit tanti viri praesulisque famam denigrare. » Testimonium Mariani non habetur;

bertum. Factus competentis aetatis habitum ordinis suscepit et cum fratribus conventualibus de die existens in conventu litteras discebat et de nocte maternam domum redibat. Et secundum quod ipse mihi retulit, isto modo mater eum nutrivit, quousque fratres de observantia nuncupati ipsum recipere vellent. Erant enim in dicta provincia loca quaedam, quae vicariae Bosnae fratres tenebant, quae tunc cum provincia Ungariae unita erat.[1] Postquam vero fuit receptus a fratribus, laudabilem (f. 9r) illius curam gesserunt. Quidam autem Ungarus frater et in theologia magister et praedicator et latinam linguam ignorans vidit hunc juvenculum acuti ingenii et bonae indolis, accepit illum in socium et, cum populo praedicare vellet, ipsum sibi interpretari constituit; et gestus corporales et exclamationes tempore debito facere docuit, eumque aliquando confortans « terribiliter exclama » dicebat; ille vero cuncta diligenter notabat. Demum ita iuvenculus existens unam praedicationem

Raphael Maffaeus Volaterranus in *Commentariorum Urbanorum* 38 *libri* agens de « S. Francisco ejusque ordinis viris claris » de fr. Roberto: « His autem omnibus Robertus ex Alecio Apuliae oppido praeferendus erat, si per ejus vitae coeptique propositi inconstantiam licuisset. Nam adolescens admodum concionari coeperat tanta ejus eloquentiae morumque admiratione, ut omnes in eadem arte et pronunciationem et gestus ejus imitari conarentur prooemiandi, exclamandi, commiserandi, digrediendi, epilogandi. Novus quasi orator divini verbi modum saeculo monstravit. Trecentos persuadendo ad hunc ordinem deduxit, ut ipse testabatur. Matronarum deinde certatim eum adeuntium concursu atque libidine paulatim illectus vesanus coepit esse. Praesul postremo factus in patria senex inter concubinas decessit » (*Anthropologiae,* libro XXI; in edit. Basil. anni 1530, fol. 244v). Absque fundamento Sbaralea dicit, Raph. Volaterranum a Mariano deceptum esse; Raph. nec Marianum citat, nec probabile esse videtur, Raph. († 1522) in suis commentariis, quos sub Julio II scripsit, Marianum adhibuisse. MARC. UL. (p. III, l. 3, c. XL) Raphaelem citat et exscribit, at ultima ipsius verba omnino omisit. Hinc Sbaralea *minus juste* verba illa scripsisse videtur.

[1] Cf. FERMENDZIN, l. c., pg. 122, litteras Martini V de die 28 julii 1424 datas, quibus « confirmat ea, quae Gregorius XII circa regimen fratrum vicariae Bosnen. statuerat, nempe ut omnes fratres intra limites ipsius vicariae immediate a ministro generali et ejus vicario solum dependeant; » et pg. 132 litteras fr. *Gulielmi de Casalis* ministri generalis, die 16 maji 1430 datas, quibus fr. Joannem de Capistrano visitatorem « in locis vicariae Bosnae subjectis, *in provincia Apuliae constitutis* », designat. Videsis P. BONAVENTURA A FASANO, *Memorabilia Minoritica Prov. St Nicolai,* Barii, 1656.

mente didicerat, quam aliquando quater in die in diversis locis et castris se fecisse narravit.

Fratres vero illius provinciae religiose incedentes et istius juvenis aptitudinem notantes simpliciter sibi et toti familiae optime providere cupientes ad provinciam S. Francisci miserunt ad hoc, ut in provincia illa, quae cunctarum provinciarum familiae speculum esse dignoscitur, sanctis moribus et regularibus disciplinis perfecte imbutus quasi quidam lapis pretiosus super anulum in familia poneretur. Postquam vero ad illam provinciam venit, in devotissimo loco *Heremitae*[1] de familia positus fuit et cunctis carus cunctisque fratribus acceptus erat; erat enim gratae conversationis et laetus. Missus denique pro eleemosyna ad castrum quoddam praedicavit ibidem, et in una praedicatione tantae acceptationis fuisse ferebant, quod totum castrum miro modo commovit, ita quod masculi et feminae, saeculares et fratres, omnes erant stupore perterriti. Laetantur fratres et gesta referunt; commendatur, laudatur, supra modum diligitur; praedicant virtutes ejus et gratiam et multis laudibus extollunt; non contenti fratres, quod tantum praedicaret in castris, ducunt ad civitates. Praedicat in civitate Assisii, et fuit acceptus; praedicat in civitate Eugubii, et miro modo fuit acceptus; praedicavit Florentiae, et totam civitatem commovit; venit Aquilam, et tanta fuit populus admiratione et consolatione repletus, quod facile extimari non posset. Fratres pauperculi nostrae familiae continuo laudabant in populo; ipse praedicabat in pulpito, et fratres ipsum praedicabant ubique nec poterant de ipsius commendatione satiari. Fratres haec omnia faciebant propter gloriam Dei, religionis honorem et populorum necessitatem. Et in veritate, si in benevolentia et gratia familiae stetisset, maxima ordinis corona fuisset et apud Deum ingentis meriti. Demum praedicavit Romae et breve exemptionis accepit, de quo supra

[1] *Romita* custodiae Tudertinae.

parumper, ut scl. auctoritate summi pontificis ubique praedicare valeret et praelatis ordinis, in quantum vellet et non ultra, obedire teneretur. Ista exceptio judicio meo suae ruinae fuit occasio; tamen usque ad capitulum generale in sancto Juliano celebratum se bene gessit. Post capitulum vero praedictum, ut supra retuli, contra familiam indignatus, tortuosus, imo contrarius incessit; nihil intentatum, quin familia sub ministris rediret, reliquit. Familia hoc sibi non meruit; nam si decem, posito, sed non concesso, sibi fuissent adversati, ut quid reliqui, qui ipsum complexabantur amore, detrimentum pati deberent? Non enim justum erat, ut pro delicto paucorum paterentur omnes, cum tamen secundum relata contra eum nullus deliquerit.

De terribili bello contra familiam excitato in curia Romana, ut simpliciter sub obedientia ministrorum redire deberet (1453).[1]

CAPITULUM 14.

Magna guerra fuit contra familiam excitata hoc modo. Patres conventuales omnes contra familiam mirabiliter exarserunt, eo quod familia per Eugenium exaltata fuerit et ab obedientia ministrorum provincialium totaliter exempta, ut supra capitulo decimo tactum est, et quomodo contra familiam se vindicare possent, quaerebant assidue, et sub ipsorum obedientia revocare. Frater vero Robertus Romae cum indicibili acceptatione praedicaverat et praedicabat. Concilium itaque sive concordiam fecerunt in unum frater Robertus et pater minister generalis et plurimi provinciales, ut simul concordes de receptis injuriis omnes vindicarentur. Frater Robertus vero toti curiae Romanae atque populo Romano acceptissimus in praedicatione

[1] Cf. WADD. ad an. 1453, n. XVIII.

totam contra familiam curiam commovit allegans, quod ista familia male et contra conscientiam vivebat, nisi ad ministrorum obedientiam rediret, et quod bullae Eugenii nullius momenti erant, quia surreptitiae (f. 9v); et totam curiam mirabiliter intossicavit. Dicebat insuper et quandam listam ostendebat, in qua 24 praedicatores erant descripti, quos omnes esse asserebat cum sua opinione concordes, addens, quod plerique provinciarum vicarii, quos pro meliori nominare nolebat, idipsum optabant.

Haec ipsa auribus summi pontificis Nicolai quinti nota fiunt; vocat summus pontifex fratrem *Marcum* vicarium generalem, narrata narrat et, si vera sint, paterno inquirit amore. Negat omnia vicarius generalis, quod haec omnia aemuli familiae contra veritatem finxerunt. Instat pontifex, quod hujus rei certam veritatem habere cupit. Respondet vicarius generalis: « Vocentur fratres, et ipsorum vota quaerantur. » Annuit summus pontifex; et tunc vicarius generalis de singulis provinciis plures principaliores fratres vocavit. De hac nostra provincia quinque fratres cum patre vicario, qui tunc erat frater *Matthaeus de Narnia,* vocati Romam accessimus. Recedentibus vero nobis de civitate Tiburtina vascula nostra erant omnia vacua, et iter longum pro nobis, in via malum contingere potuisset. Regressus fui intra civitatem parum vini pro eleemosyna quaerens a pluribus feminis, quae erant in strata filantes. Una vasculum implendum suscepit; altera vero vetula in amaritudine cordis dixit: « Quid est hoc, quod de vobis audimus, fili mi? » Respondi: « Quid dicere velit, ignoro. » Dixit illa: « Omnes nos habebamus vos omnes pro luce nostra, et tamen lux ista est obscurata, et jam omnes semimortui sumus; nam tot et tanta mala de vobis et isto fratre vestro Roberto dicuntur, quod vix audire possumus. Estis enim quotidie in rixis et contentionibus; et tota Romana civitas de vobis miro modo scandalizata est. » Hoc audiens in veritate cor meum gladio doloris fuit valde confossum; respondi: « Mater mea! non mireris; nam quoniam

inter apostolos Christi contentiones fuerunt, non vitiosae sed virtuosae, unusquisque ipsorum ad bonum finem tendebat, erant tamen viae diversae, sic utique nobis contigit. » Et prout melius potui, responsum dedi.

Euntes vero per viam et notitiam quandam de contingentibus habentes confabulari coepimus. Quidam ex nobis de quibusdam fratribus, qui de conventibus venerant, dubitabant. Tandem ego recolo me ita praesumptuose dixisse: « Dominum non timeo, quia Deus veritatis fautor est virtutumque defensor; creaturas non timeo, quia, si Deus pro nobis, quis contra nos? hoc unum timeo, scl. ne nos simus divisi, quia omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Si vero uniti sumus, Domino existente pro nobis nec daemones nec homines timeo; victoria nostra est. »

Postquam omnes Romae fuimus congregati, pater vicarius generalis omnes capitulariter congregavit et bellum contra nos motum intimavit et voluntatem summi pontificis, scl. quod voluntatem fratrum circa hoc factum scire volebat, explicavit; vota fratrum scire volebat. Venerandus pater frater *Petrus de Anguillaria,* Romanae provinciae vicarius, primum inquisitus respondit: « Patres mei! mihi videtur, quod modus vivendi a bonae memoriae Eugenio nobis traditus pro nostra sit salute necessarius; et si habitus non esset, necessarium fore haberi. Unde pro me et pro fratribus meae curae commissis respondeo: parati sumus labores et expensas pro ipsius defensione sustinere, imo si necessarium foret, et vitam ponere. » Secutus est vicarius provinciae sancti Francisci, provinciae Marchiae, et reliqui per ordinem, omnes idem asserentes. Et tunc omnes surreximus dicentes: « Ita volumus omnes. » Tunc dixi: « Cum fratribus totum mundum non timeo; victores sumus. » Et pro ista vice ulterius non est processum.

Fratres ergo omnes insimul congregati pro causa ista in Domino fuimus unanimiter confortati; et divinam bonitatem,

quae tempore necessitatis suos famulos non relinquit, toto corde ac mentis jubilatione laudavimus. Et unusquisque nostrum bono animo se praeparavit ad pugnam, non offensionis, sed necessariae defensionis.

De multiplici pugna in curia Romana ab aemulis et adversariis contra familiam excitata et defensione divina et humana contra calumniantes assumpta.[1]

CAPITULUM 15.

Instabant quotidie cum summo pontifice aemuli nostri, ut cancellatis bullis Eugenii surreptitiis et nullius momenti, secundum quod ipsi asserebant, familia simpliciter sub obedientia ministrorum rediret; sed sanctius fecissent vitam suam corrigere, quam bene vivere volentes calumniose molestare. Fratres vero familiae auxilium divina providentia provisum hoc modo habuerunt. Quidam (f. 10^r^) dominus *Petrus de Noxeto,*[2] vir utique saecularis, in saeculo socius papae fuerat et ita dilectus, quod ab omnibus quasi alter papa teneretur. Vidi semel cardinalem quendam reverendissimum ad mansionem domini Petri humiliter accessisse, ut quam volebat a summo pontifice gratiam impetraret. Hic dominus Petrus quendam fratrem *Archangelum de Ponte Tremulo,* vicarii generalis socium, miro complexabatur amore; fuerant etiam in saeculo socii. Rogatus dominus Petrus a reverendo vicario generali socioque suo fratre Archangelo,

[1] Cf. MARC. UL., l. c., p. III, l. 3, cap. XLI, et WADD. ad an. 1453, n. XIX.

[2] Petrus de Noxeto, oriundus a *Pontremoli,* celeberrimus fuit litteris et *Nicolai V* secretarius. Cf. de ipso GERINI, *Memorie storiche d'illustri scrittori e di uomini insigni di Lunigiana,* t. II (Massa, 1829), pg. 199: « Fu d'illustre memoria e distinto. Egli essendo a segretario del pontefice Niccolò V sazzanese, non può credersi quanto splendidamente vivesse ed onorato. » Mortuo Lucae 1472 celeberrimus *Cividali* sculpsit monumentum, in quo leguntur: « Petro Nocceto a multis regibus et a Nicolao V Pont. Max. multis honorum dignitatumque insignibus sua virtute decorato. »

ad omnia, quae ipsis grata forent nostraeque familiae placita, libenti animo se paratum respondit. Et quia pugna erat continua et valde terribilis et aemulorum animi contra familiam duri, continuo indigebat auxilio remedioque opportuno. Unde dominus Petrus vir prudens nosterque singularis amicus vicario generali dixit: « Hoc agite, ut frater Archangelus omni die bis, mane videlicet et sero, ad me veniat; et de omnibus vos advisabo, quae circa facta vestra in curia contingent, ut remediare possitis. » Et sic actum fuit; veniebat ergo frater Archangelus; et quandoque pro nobis bona nova ferebat, et ut moris est omnes communiter laetabamur; quandoque mala, et contristabamur.

Semel rediit totus tristis et male contentus et coram omnibus causam exposuit dicens, quidam frater *Philippus de Massa* cum quodam domino episcopo sibi amicissimo dixit: « Si dominus noster non tractabit nos tanquam filios et suam nobis gratiam denegabit et ad petitionem fratris Roberti vel alterius cujuscumque sub obedientia ministrorum destructis bullis Eugenii, quae nobis ad nostram salutem necessariae sunt, reducere velit, in veritate nos ad concilium Constantiense appellare persentiet.[1] » Ille vero dominus episcopus statim summo pontifici verba fratris referre curavit, de quo summus pontifex fuit ita turbatus, quod per os suum ignem videbatur emittere. Vocans dominum Petrum et verba fratris cum maxima turbatione retulit et multis sermonibus cum domino Petro de nobis suam lamentationem exposuit; tristatur dominus Petrus et summo pontifici valde compatitur. Accedit secundum morem frater Archangelus et dominum Petrum turbatum inveniens valde fuit male contentus; dicebat dominus Petrus: « Ego vos pro viribus defensare conor, et nos videmus vosmetipsos velle destruere. » His auditis communiter omnes fuimus male contenti.

[1] In quo concilio plures concilium papa superius esse proposuerant.

Congregatis fratribus per vicarium generalem et audito novo, de remedio coepit opportuno tractare. Venit denique tempus, quod magister Seraphinus interrogatus respondere debebat, et respondit dicens: « Patres mei! de hoc verbo omnes contristamini; et ego dico vobis, quod non fuit sub coelo verbum magis necessarium. Et puto, quod divina sapientia pro nostro bono hoc fuerit operata, ut summus pontifex his auditis, quae in mentibus fratrum versantur, maturius in causa nostra procedat. Et ideo dico vobis, quod de isto verbo et summi pontificis turbatione super omnia, quae hactenus relata fuerunt, consolari debemus. » Et in veritate ego puto, quod summus pontifex jam multipliciter fatigatus ab aemulis nostris et afflictus jam bullis Eugenii cancellatis ad obedientiam ministrorum familiam reductam esse voluisset; sed scandalum timens praedictum importunitati frenum imposuit.

Frater vero Robertus contra familiam indignatus et in hoc facto inimicus effectus contra illam die noctuque pugnare publice et private nunquam cessabat. Una dierum inter nos simul congregatos habita locutio fuit, ut coram nobis vocaretur audireturque, quare tale scandalum contra familiam excitavit. Vocatus fuit et venit; requisitus respondit: « Ego dixi videre meum, quod familia sub obedientia ministrorum deberet stare contenta. » Dictum est ei, quare melius sub simplici obedientia ministrorum, quam isto modo viveret. Respondit: « Mihi ita videtur, et ita omnibus audire volentibus dixi. » Tunc magister Seraphinus dixit: « Vultis hunc punctum disputare? » Respondit: « Non veni ad disputandum, sed vocatus a vobis ad audiendum. » Et plura verba dixit, praecipue de praedicatione, quod ipse authentice plus quam alius frater familiae verbum Domini praedicavit; et plura dixit, quorum memoriam minime teneo.

Videns denique, quod summus pontifex juxta suum et patrum conventualium desiderium non procedebat, quia etiam

amici nostri in ista causa partem nostram cum pontifice defensabant, amplius se continere non valens processit ad publicum, confidens in acceptatione populi et Dominum non timens (f. 10v); et Romae in *Campo Florum*, ubi erant multa millia hominum, nostram familiam esse in peccato mortali 12 rationibus probare conatus est, secundum quod mihi relatum fuit. Et pauperculus excaecatus caecitate superbiae festucam in oculis pauperum videre se putans in suo nolebat aspicere trabem. In tali praedicatione mortalissime peccavit contra caritatem fraternam, etiam, si quae dicebat, vera fuissent; cum recte in caput et in conscientiam suam mentitus sit. Omnes enim suae rationes fundatae fuerunt in falsitate et consequenter nullae erant: aut obedientia, quae ministris a fratribus familiae non exhibetur — et similiter procedere non possunt, quia summus pontifex hoc facere potuit; aut quod sit ordo divisus — et similiter non procedit, quia per bullas Eugenii ordo nulla potest dici ratione divisus, secundum quod inferius latius et clare ostendetur; aut quod bullae Eugenii sint surreptitiae — et similiter non procedunt, quia bullae canonicae sunt et sanctae. Suas rationes non audivi.

In tantum enim ille bonus homo frater Robertus afflixit familiam suis praedicationibus publicis, quia in omnibus suis praedicationibus aliquid contra familiam evomebat, aut privatis cum curialibus et romanis civibus, quod vix fratres familiae poterant respirare et vix panem in quaestis in civitate Romana poterant invenire. Dominus tamen pro familia viriliter pugnavit, et familia in sua unitate et bona populorum opinione remansit; ipse vero cum suis sequacibus sicut satan ad ima dejectus est. Bene tamen paupercula familia de ipsis illud Isaiae dicere potuit: « *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* »[1]

[1] Is. 1, 2.

De scandalis Romae inter saeculares exortis et praedicationibus et moribus hujus viri.

CAPITULUM 16.

Tanta et tam maxima ista conquassatio fuit, quod non solum fratres observantes et conventuales tribulationem senserunt, sed etiam saeculares. Relatum fuit mihi, quod intra domos saecularium in civitate Romana erant divisiones. Omnes enim, qui erant contra familiam, hoc refugium et recursum habebant, quod fratres de familia invidia moti fratrem Robertum sustinere non possunt; vident enim, quod est ita acceptus et gratus populo, quasi esset angelus Dei, et quia ipsi hoc habere non possunt, et praecipue principaliores, ideo ipsum multipliciter persequuntur. Amici vero nostri dicebant: « Frater Robertus est juvenculus et praesumptuosus et vult dominari et sanctae obedientiae non vult submittere caput; imo persequitur istos pauperes et fratribus conventualibus ipsos submittere vellet; isti vero nolunt, quia non expedit eis. » Et isto modo et similibus inter se erant divisi, ita quod in eadem domo erant partes. Imo in *Transtiberim* uno sero cives convicini coeperunt de fratribus habere sermonem, et de verbis rationabilibus ad injuriosa venerunt, et demum ad arma; sed operante Spiritu Sancto eorum rixa in bona pace quievit. Item una dierum plurimi cives Romani insimul congregati de his, quae circa nos contingebant, fari coeperunt; et sicut communiter accidit, quod unusquisque in suo sensu abundat, unusquisque dicebat, quae vertebantur in animo. Quidam dicebant: « Etiam fratres invidi sunt; » quidam vero dicebant: « Fatui essent, si sua jura non defensarent; » quidam dicebant: « Non sunt inter eos viri docti, ideo indocti contra doctos persecutiones ex invidia movent. » Finaliter quidam civis antiquus et sensatus Spiritu Sancto inspirante dixit: « Miror

de vobis. Isti fratres observantes habent intra se doctos viros, qui etiam toti ecclesiae praebent fidei, bonorum morum et sanctitatis exemplum. Et sunt plerique ipsorum, qui XXX vel XL annis et plus et minus in observantia suae regulae vitam maceraverunt. Et credere vultis, quod frater Robertus, qui est juvenculus et noviter de conventu venit ad observantiam, magis ipsorum facta noscat? et magis fratri Roberto de factis eorum, quam antiquis et doctis patribus, qui vitam in observantia consumpserunt, credere vultis? Profecto res ista non est rationabilis. Et ideo vos videbitis fratrem Robertum superbum et elatum de sua superbia ruere in profundum.» Et ita fuit.

Et ista erat maxima tribulatio nostra: persecutiones nos patiebamur et infamati eramus, quod nostri persecutoris persecutores essemus. Frater Robertus suam praedicationem omni die continuabat et coepit paulisper discoperiri, et cives oculos aperire coeperunt et a sua coeperunt devotione cessare et fratribus familiae compassionem habere; et familia coepit respirare (f. 11[r]). Postquam vero sua iniquitas discoperta fuit in conspectu saecularium, etiam cives ad suas praedicationes continuo accedebant. Una dierum frater quidam civibus quibusdam dixit: « Ecce! vos dicitis, quod jam fratri Roberto devotionem non habetis, quia, qualis sit, ipse seipsum ostendit; » qui responderunt: « Nos jam fratrem Robertum pro sua eloquentia, quia ita bene loquitur, et non pro sua devotione sectamur.» Et ita pauperculus se ipsum confudit et familiam multo labore quassavit.

Demum pauperculi fratres post innumeras tribulationes habitas in curia Romana per divinam gratiam actum fuit, quod dominus Nicolaus papa V auditis et perceptis falsis informationibus adversariorum familiae, et nihil de bullis Eugenii penitus mutato, ad suas provincias non sine magna consolatione redierunt divina gratia evidenter adjuti.

Et quia de fratre Roberto plura scripsi, nemo ex iniquitate

aut passione me contra ipsum loqui suspicetur. In veritate valde, dum bene se gessit, me illum dilexisse fateor; sed postquam contra familiam quasi se capitalis inimicus erexit, fervens caritas tepescere coepit. Et nemo putet me mendacia scribere voluisse, imo de plurimis factis suis contra familiam pauca collegi. De ceteris factis suis, et quae audivi et quae novi, nihil dicere volui, sed tantum de aliquibus, quae contra familiam gessisse liquet. Postquam vero a persecutione familiae cessavit, magister in sacra theologia factus est, magisterque Robertus postremo episcopus *Aquini* extitit electus, et episcopus Aquinensis nunc supervivens (?) appellatur.[1]

De ruina plurium fratrum nostrae familiae post praedictam conquassationem et aliquibus aliis memoria dignis, quae contigerunt (1454).

CAPITULUM 17.

Cessante conquassatione praedicta in curia romana plurimi fratres quasi de omnibus provinciis nostrae familiae ad conventus fugere coeperunt.[2] Et plerique nostri fratres fratris Marci vicarii generalis duritiae adscribere volebant, quorum plerosque ea caritate, qua decet, redarguere studui; non enim erat generalis vicarii durities, sed fugientium mala voluntas; qui enim bonam voluntatem habebant, perstiterunt.

His temporibus prima vice in loco *sancti Nicolai* prope civi-

[1] Die 25 oct. 1475 electus est episcopus *Aquinensis;* die 22 martii 1485 ad ecclesiam *Liciensem* translatus, die 18 julii ejusdem anni iterum ecclesiae Aquin. praeficitur (EUBEL, l. c., pg. 101).

[2] WADD. ad an. 1454, n. XXII: « Cum enim Nicolaus Pontifex pio pacis studio, sed deteriori consilio sublatis censuris ab Eugenio latis in eos, qui spretis suis observantiae superioribus ad conventuales transirent, et in illos, qui transeuntes reciperent aut retinerent, liberam transeundi fecisset potestatem, passim et ubique hujusmodi recursus fiebant et discursus. »

tatem Sulmonis fui vicarius electus ad hujus nostrae provinciae sancti Bernardini regendam familiam. Et a fratribus capituli venerabilibus fratribus fr. *Liberato de Aquila*, fr. *Francisco de Pizulo* et mihi plena potestas data fuit, quod, si sine scandalo fieri posset, sancti Bernardini corpus relinqueretur.[1] Accessimus Aquilam, corpusque sancti relinquere tentavimus hoc modo. Ad dominos regiminis Aquilanae civitatis, qui *Quinque Artium* nuncupantur, accedentes proposuimus, quod corpus sancti Bernardini aliis commendarent, quia pro nostra salute facere non videbatur in civitate morari. Dure hoc verbum tulerunt, et de die in diem nos procrastinantes tandem nihil agere potuimus; cives enim se strinxerant et nulla nobis ratione consentire volebant. Patres vero conventuales his auditis statim cursorem Bononiam direxerunt, ubi tunc eorum capitulum generale actualiter celebrabatur, quae circa corpus sancti Bernardini inter nos et cives agebantur, nuntiantes. Generale vero capitulum hanc provisionem fecisse probavi: quendam fratrem *Laurentium de Apulia*, qui prius conventualis fuerat, deinde de familia, et iterum ad conventum reversus, guardianum Aquilani conventus instituit, et ut puto XXXI circa, qui de nostra familia ad conventum accesserant, secum duxit fratres. Ipsorum intentio fuit sancti Bernardini corpus ad gubernandum, quod nos refutabamus, accipere, quod nullo modo melius facere posse putabant, quam sub observantiae moribus vitam ducere. Et in veritate mihi fuit fratribusque meis tribulatio magna. Coeperunt praedicare, honeste vivere, conventum bene officiare.

---

[1] S. Bernardini apud conventuales in ecclesia sancti Francisci sepulti a civibus Aquilanis aliqui fratres observantes constituti erant custodes. « Verum etsi sacratissimum pignus plurimi facerent, non tamen absque molestia et taedio in alienis aedibus habitabant, et in angusto sacello divina persolvebant officia. Ex conversatione et commoratione cum patribus conventualibus aliquid adhaerebat indulgentioris vitae. Statuerunt itaque post decennii custodiam corpus prorsus relinquere conventualibus. » (WADD. ad an. 1454, n. XXXIII).

Tandem Dominus nos juvit; quia in veritate non incedebant, in brevi temporis spatio quasi furtim evanuerunt.

Plures etiam fratres de nostra provincia ad conventum recedentes, ut se justificarent, nos inculpare non verebantur. Et erat maxima tribulatio; pro sua voluntate mala recedebant, et nos pauperculi insontes patiebamur calumniam. Et ut ceterorum facta quilibet legens intelligere valeat, unum exemplum proponam. Quidam juvenis absque ulla occasione a quoquam sibi data de nostra familia ad conventum accessit; requisitus et revocatus et rogatus pluries redire noluit. Una quidem die consanguineus ejus me reperit et cum dolore cordis dixit: « In veritate, pater, plurimi cives de tanta fratrum (f. 11^v) fuga mirantur vestraeque duritiae atque indiscretioni communiter imputant. » Dixi: « Non est verum, sed est ipsorum mala voluntas. Et ut ita aperte cognoscas, vade et consanguineum tuum, fratrem talem, voca et dicas ei, qualiter ipsum recipere sum bona voluntate paratus; poenitentiam de defectu commisso dare nolo, sed, quam tu dederis, ex nunc accepto. » Ille miratus dixit: « Potest hoc esse? » Replicavi: « Ita sum in veritate contentus. » Tunc ille gaudens dixit: « Vere ipsum ad te reducam. » Dixi: « Vere non facies. » Dixit ille: « Immo. » Accessit et consanguineum reperit; et respondit sibi: « Usque ad tale breve tempus quibusdam, quae expediturus sum, expeditis veniam. » Reperi amicum et dixi: « Ubi est frater talis? » Respondit: « Tali tempore veniet. » Dixi: « Crede mihi, quod non veniet. » Venit tempus, et non venit frater. Reperi postremo civem et dixi: « Quid tibi videtur? est praelatorum vel fugientium culpa? » Respondit: « Nunc fugientium et non praelatorum culpam esse cognovi. »

Nonnulli fratres, qui de familia recesserunt, speciale sibi nomen vindicare voluerunt, ut frater *Jacobus de Civitate Ducali*, frater et magister *Sanctes de Penna*, provinciae Marchiae; et loca pleraque ceperunt et sub obedientia ministrorum vivebant,

qui a patribus conventualibus et a nonnullis curialibus adjuti — utinam ex caritate! — nostrae familiae tribulationem magnam dederunt. Tales fuerunt quamplures, qui toti curiae nos reddiderunt exosos propter multam frequentiam in curia et propter nonnulla scandala per ipsos perpetrata, quae narrare non convenit.

Magister Sanctes praedictus de conventu ad familiam venit et postea ad conventum rediit et plura loca de novo aedificavit et cum magna honestate cum suis fratribus vivebat. Post mortem ejus loca illa ad obedientiam familiae redierunt. Hic post bellum supra narratum, quo patres conventuales corpus sancti Bernardini a civibus Aquilanis auferre conati sunt, non a nobis, quia nos ut supra dixi relinquere eramus bona voluntate parati, aliud bellum movit. Cum magna auctoritate reverendissimi generalis Aquilam venit et maximum bellum nobis ingessit. Nam sub obtentu reformationis conventus omnium portarum conventus claves sibi et fratribus suis fieri fecit. Tunc enim in conventu sancti Francisci corpus quiescebat,[1] et ibidem in quadam separata mansione fratres nostri ad custodiam corporis et officiandum cappellam, in qua jacebat, continuo morabantur. Fratribus vero nostris nullam clavem dare voluerunt, unde multae nobis inconvenientiae contingebant; et hoc totum ad hunc finem, ut taedio affecti corpus relinquere cogeremur. Item omni sero post completorium fratres de choro conventus accensis luminaribus ad cappellam et corpus sancti Bernardini cantantes ibant, ut hoc modo animos civium incitarent ad tradendum illis et quasi possessionem accepisse viderentur. Item amplius se continere non volens in pulpito contra nos nonnulla verba eructare coepit, quae omnia in caput suum retorta divina voluntate fuerunt. Item in hebdomada sancta ad dominos de regimine accessit petens expresse, ut sibi corpus sancti traderetur omnino allegans multa; cui demum responsio

[1] Codex « conventu sancti Bernardini ».

data fuit, quod, cum longo tempore in manibus fratrum sancti Juliani stetisset et corpus sancti bene rectum, gubernatum et honoratum fuerit, civitasque tota consolata fuisset, erantque cives sui, nihil penitus innovare volebant. His auditis fuit mirabiliter conturbatus et in verba coepit injuriosa prorumpere; cives honestissimé se gesserunt; tandem puncti punxerunt et juxta verbum Salvatoris fecerunt: « Date et dabitur vobis. » Et sic cum maxima confusione de civitate recessit. Pauca ex plurimis narravi, ne taediosus efficerer. Frater Jacobus vero de Civitate Ducali veniens ad locum *Montis Rotundi* prope Romam, quem solum tenebat, fratribus suis consuluit, ut nostrae familiae Romanae provinciae consignarent seseque sub obedientia familiae omnino subjicerent. Et ita divina gratia operante factum est.

Multas cartas scribendo consumerem, si omnia, quae etiam nunc mente teneo, scribere vellem; dicta sunt satis judicio meo sufficientia ad similium comprehensionem. Demum diabolus totis viribus cum suis satellitibus hanc familiam annihilare tentavit; et quanto magis diabolus tentavit opprimere, tanto magis divina bonitas pro sua pietate erigere voluit.

De novo bello excitato contra familiam tempore Calixti summi pontificis.

CAPITULUM 18.

Non cessavit neque quotidie cessat diabolus hanc pauperculam familiam tribulare. Nam Nicolao quinto summo pontifice ex hac vita subtracto *Calixtus tertius*[1] in sede Petri sedere promeruit, quo tempore aliud bellum (f. 12r) magnum contra familiam factum fuit. Nam patres conventuales et plurimi, qui

[1] Codex erronee: « secundus » (1455 1458).

de nostra familia accesserant ad conventus, et nonnulli nostri aemuli duo praecipue contra nos allegabant, propter quae familia ad obedientiam ministrorum redire debebat: *primum,* quod bullae Eugenii, quibus familia innitebatur, erant surreptitiae et consequenter nullius momenti; ex quibus inferebant familiam totam in statu damnationis morari. Ista erat magna caritas, quae movebat hos patres. Ad quod breviter respondeo, illud esse falsissimum, quia beatus pater frater Johannes de Capistrano erat optimus canonista et in actis curiae expertissimus et homo sanctissimae vitae, sicut nunc Dominus in Vylac, ubi corpus ejus requiescit, innumeris miraculis demonstrare dignatur. Is pater sanctus coram Deo et hominibus testatus est, quod bullae erant canonice impetratae et sanctae. Item dominus *Blondus* scriptor[1] omnibus audire volentibus asserebat, scl. quod erant canonice et legitime impetratae. Reverendus vero dominus protector dicebat se de illis bullis nullam notitiam habuisse, sed pater sanctus et dominus Blondus dicebant, quod ipso sciente et consentiente fuerant impetratae; quod autem harum memoriam non haberet, non erat mirum, quia innumeras occupationes habebat, nec potest quis omnium habere memoriam.[2] Tamen si fuissent contrarii, illi magis inhaerendum videtur, cui divina sapientia tale testimonium perhibet, ut innumeris miraculis clarere faciat; nec aliquo modo suspicandum est, quod vir tantae sanctitatis in conscientiam suam pro toto mundo errare voluerit. Item bonae memoriae *Pius secundus* summus pontifex bullas illas, quas Eugenianas vocat, plenissima sententia confirmavit.[3]

Secundum erat, quod per istas bullas, posito quod fuissent

[1] Flavius Blondus, secretarius apostolicus.

[2] Anno 1443, quo prima bulla Eugenii IV prodiit, fuit protector ordinis cardinalis *Cesarini,* ab Eugenio IV legatus in Hungariam ad expeditionem contra Turcos praeparandam. Ipsi in bello interfecto substitutus est anno 1445 cardinalis *Capranica.*

[3] In bulla « *Pro nostra ad beatum Franciscum* » (apud WADD. ad an. 1458, n. XX).

validae, secundum eos ordo erat divisus, et consequenter fratres de familia non fratres minores et sancti Francisci, sed fratres bullati vel alterius cujuscumque nominis appellandi. Ad istam objectionem respondit reverendissimus bonae memoriae dominus *Berardus de Narnia* sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Spoletanus dictus, qui in studiis generalibus diu legit et erat forte singularis doctor in Italia in jure canonico; et allegavit, quasi canonum in terminis in capite *quod quidam de officio ordinarii,*[1] ubi cum esset unus episcopus cujusdam civitatis, in qua erant viri diversarum linguarum, puta italicae et graecae, et non posset ipse per se omnibus satisfacere, ipse in lingua sua satisfaciens alteri linguae illius linguae alium episcopum instituit, quasi suum vicarium, ut per ipsum alteri linguae satisfacere posset, ubi licet sint duo episcopi, tamen quia secundus dependet a primo, non dicitur esse monstrum[2] in civitate, scl. quod unum corpus videlicet una civitas duo capita dicatur habere, sed unum tantum. Et isto modo est in religione nostra, ut patet, et ideo non dicitur ordo divisus, sed unus verus, bonus et sanctus. Patres itaque conventuales super ista materia, ut audivi, quinquaginta consilia diversorum doctorum habebant; sed quia consilia erant super falsitate fundata, non ex defectu doctorum, sed ex defectu informantium ideo nullius poterant esse valoris. Nostri vero fratres viginti octo consilia super veritate fundata habebant.

Posita igitur querela per patres conventuales coram summo pontifice Calixto diligenter auditi sunt. Petita gratia de remedio opportuno summus pontifex ordinavit, ut in conventu Assisii capitulariter patres conventuales et observantes congregaremur. Et summus pontifex legatum in ista causa misit quendam abbatem sancti *Ambrosii de Mediolano,* juvenem

---

[1] WADD. ad an. 1455, n. XLIII, in margine: « Vid. Berard. de Narnia c. *Quod quidam de officio ord.:* » allegatur *Decret. Gregorii IX.*, l. I, tit. XXXI, *de officio ordinarii,* c. XIV.
[2] Codex: « mostrum ».

quidem aetate, sed in jure doctissimum et virtutibus et discretione perfectum.[1]

Audita fama adventus legati patres conventuales per plura milliaria et dietas processerunt obviam sibi; et nobis in conclavi existentibus in sancta Maria de Angelis venit legatus et ante fores ecclesiae de equo descendens brevissimam orationem in ecclesia fecit, nec ita repente visitatores ad dominationem suam destinare valuimus, quin ipse citius recesserit, nec nobis verbum aut signum aliquod humanitatis ostendit, sed insalutato hospite recessit. Is actus in mentibus nostris non parvam generavit admirationem; tamen quatuor notabiles fratres ad visitandam dominationem suam transmisimus, quibus benignissimum et gratissimum responsum dedit, de quo animi fratrum valde consolati fuerunt. Denique competenti tempore conventuales et observantes in conventu Assisii fuimus pariter congregati. Et reverendissimus dominus legatus ad ostensionem suae potestatis et auctoritatis bullas domini nostri publice coram utraque parte legi fecit, ex quarum tenore admirationem et tristitiam non parvam accepimus; non enim ut paternae litterae amorem et dilectionem sonare videbantur, sed invectiva potius quaedam contra familiam videbatur esse directa.[2] Tristati fuimus et dolorati (f. 12v), et quid agere debeamus penitus ignorantes. Tunc reverendus dominus legatus dixit: « Audistis voluntatem domini nostri. Estote ergo parati, ut, cum vos vocari faciam, coram nobis compareatis eo modo et forma, qui mihi fuerit visus. »

---

[1] *Blasius Ghilinus.*

[2] Cf. litteras Nicolai V apud Wadd. ad an. 1455, n. XLV, XLVI, XLVII.

De principio confectionis bullarum domini Calixti Assisii facto per reverendissimum dominum legatum de modo vivendi simul patrum conventualium et fratrum de familia (1455).

CAPITULUM 19.

Reverendissimus dominus legatus domini nostri, abbas antedictus, nos vocavit et dixit: « Patres! loquar vobiscum confidenter et secure. Recepto mandato de vestra compositione et necessariis praeparatis ad iter, quidam viri non parvi ponderis mihi dixerunt: " Vade et tantum ignem inter fratres accendere studeas, ut nunquam extinguatur. " Verba ista timorem pariter mihi et dolorem dederunt cautioremque me esse fecerunt. Unde de vestra bona concordia et pace cogitans, secundum quod est voluntas pontificis, scl. quod aliqua capitula de communi utriusque partis concordia faciamus, quibus in posterum secundum Deum et vestram professionem vivere valeatis, et recogitans verba praedicta de accensione ignis ad cappellam accessi, in qua corpus beati Francisci requiescere creditur, ibique me in oratione posui summo desiderio Dominum nostrum Jesum Christum ejusque fidelissimum servum Franciscum deprecans, ut suae religioni de opportuno remedio providere placeret inter alia dicens: " Domine Jesu Christe! Potest hoc esse, ut tale ac tantum membrum catholicae fidei perire permittas? " Et haec et similia verba dicens magna fui devotione ac lacrimarum effusione perfusus, et tunc in mente mea divina gratia suum lumen immisit, ut vestra facta tractans atque compositionem non vos simul conferre aut tractare permittam, quia animi plerique indignati sunt et consequenter nonnisi cum passionibus loqui possunt, et ita nihil boni facere possemus; et ideo vobiscum loquens voluntatem conventualium et e contra narrare intendo. Demum cum aliqua bona fecerimus,

ad dominum nostrum redibo eique, juxta quod mihi commisit, utriusque partis concordiam et discordiam, sive in quo concordant et in quo discordant, referre volo. Nam hujus vestrae causae mihi decisionem nullatenus commisit, sed partes tantum audire, concordare et referre. »[1]

Et dominus reverendus legatus proponens nobis aliqua capitula secundum desiderium patrum conventualium, coepimus de concordia habere sermonem. Et nota, quod omnes nos simul et singillatim maximam reverentiam rev. domino legato semper ostendimus, quod nobis videbatur omni jure debitum. Capitula plura fecimus, in quibus eramus concordes, et semper tantum cum reverendo legato in absentia conventualium; et ipsi e contra, in absentia nostra omnia capitula facta fuerunt.[2] Est notandum quod reverendissimus generalis in ista congregatione, nescio qua ratione, non fuit, sed tantum quidam ministri atque magistri. Audita denique utraque parte plura capitula fecimus, in quibus eramus concordes; et isto modo habita capitulorum concordia dominus rev. legatus Romam rediit.

Ante recessum ejus de Assisio magno desiderio a sua dominatione quaesivimus, ut saltem semel ad sanctam Mariam de Angelis venire et nobiscum comedere dignaretur. Venit et videns locum, officinas et hortos miratus est; veniens vero ad mensam et fratrum religiositatem, silentium, puritatem et diligentiam et honestatem videns[3] tanta fuit devotione commotus, quod quasi continuo in mensa ploravit.

Demum facta compositione praedicta dominus legatus Romam rediit; et secundum ea, quae postmodum subsecuta fuerunt, multa bona summo pontifici de familia retulit; nam prius summus pontifex nos exosos habebat et, quasi de aliqua

---

[1] Cf. MARC. UL., l. c., p. III, l. 3, c. LXI.
[2] Habentur apud WADD. ad an. 1455, n. LI et LII.
[3] In codice deest « videns ».

haeresi familia sentiret, suspectos videbatur habere; et hoc ideo, quia semel contra quosdam fraticellos, qui erant in *Catalonia*, haereticos sibi fuit facta commissio; suspicabatur enim, ne et nos aliquo modo sentiremus cum illis, quorum principalis et caput, si bene sum memor, *Barba Gallus*[1] dicebatur. Sed per relationem sui legati et per experientiam certam didicit hanc familiam sedi apostolicae reverentiam debitam habere et esse sanctae fidei fidelissimos defensores; quasi pater nos omnes amabat, gratias multas fecit et quasi ensem pro nostra defensione suscepit. Verum quia res ista magni ponderis erat, Spiritu Sancto inspiratus sana conscientia et absque calumnia facere volens in manibus rev. patris fratris Jacobi de Marchia, qui erat vir ab utraque parte dilectus, mittere curavit. Unum tamen fuit, quod plerisque non placuit, scl. quia de reverendissimo domino protectore nullam mentionem fecit.

(f. 13r) Et notandum, quod ad hunc actum maximae importantiae vicarii omnium provinciarum et alii plerique fratres vocati fuerunt, qui videntes, quod actus tendebatur in longum, omnia in illo agenda sex fratribus cum vicario generali fr. *Baptista de Levanto* commissa fuerunt, quibus data fuit plena potestas omnia agendi et componendi, ac si tota familia praesens foret. Dictorum venerabilium patrum nomina sunt haec: Frater *Petrus de Anguillaria,* vicarius provinciae Romanae, frater *Alfonsus Hispanus,* canonista peritus et vicarius provinciae Terrae Laboris, frater *Matthaeus de Narnia,* frater *Johannes de Prato,* frater *Bernardinus Aquilanus de Fossa.*

Recedente reverendissimo domino legato de Assisio et Romam pergente recesserunt et fratres et Romam ierunt. In sancta Maria de Angelis nomine congregationis, ne per nos

[1] Vel est « un cierto *Barba Jacobo,* que andaba vestido de saco..... fingiendo observar la vida apostolica; » cf. Menendez, *Historia de los Heterodoxos Espanoles,* t. I (Matr., 1877), pg. 567, vel ille « *Berbagallus Hispanus,* » contra quem scripsit S. Ioannes Cap. (cf. Nicol. de Fara, l. c., pg. 444, n. 14).

soluta videretur, frater *Augustinus de Monte Varoccio,* frater *Matthaeus de Narnia* et ego aliis Romae pugnantibus in pace remansimus.[1]

De compositione bullarum domini Calixti facta per reverendum patrem fratrem Jacobum de Marchia, cui papa commisit.[2]

CAPITULUM 20.

Postquam reverendissimus dominus legatus Romam rediit et a summo pontifice audientiam obtinuit, secundum quod perpendere possumus, habita relatione de nobis summus pontifex cogitavit sana conscientia et absque murmuratione istam compositionem facere; unde breve patri fratri Jacobo de Marchia, qui tunc erat in Marchia, ut ad se veniret, continuo destinavit. Veniens pater frater Jacobus et ad summum pontificem accedens dixit illi pontifex: « Frater Jacobe! veni huc; » qui statim accedens coram sua sanctitate genua flexit. Cui pontifex: « Junge manus tuas, » et ille junxit in modum orantis. Cui pontifex: « Porrige mihi tuas manus junctas, » quod ille fecit. Pontifex suis manibus manus senis fratris Jacobi adstrinxit eo modo, quo faciunt praelati, quando aliquem fratrem novitium ad professionem assumunt; et tenens manus ejus dixit: « Frater Jacobe! ego quantum ad istum actum spolio me papatu et te papam instituo; vade et ordinem beati Francisci in pace ponere studeas advisans, quod ego nolo teneri Domino nostro Jesu Christo et beato Francisco, sed tenearis tu in puncto mortis et in die judicii rationem reddere. » Cui pater resolutus lacrimis et reclamans dixit: « Non, beatissime Pater! non amore Dei,

---

[1] Cf. WADD. ad an. 1455, n. LIV, cujus narratio aliquantulum deviat.

[2] Cf. WADD. ad an. 1455, n. LIII-LVII.

quia non est talis actus pro me. » Cui pontifex: « Non oportet te amplius replicare; sic volumus et in virtute sanctae obedientiae praecipimus. » Tunc senex lacrimans et male contentus ad locum sancti Francisci trans Tiberim rediit et per totam illam noctem in magna tribulatione positus nihil fere dormivit.

Tamen post multa ad palatium rediit, caput inclinavit et obedire voluit; tunc pontifex articulos per dominum legatum Assisii agitatos tradidit. Et causam agitare debita diligentia coepit. Haec omnia ipse retulit mihi pater. Et notandum, quod patri fratri Jacobo causam istam ut supra nulla de protectore facta mentione papa commisit, quod reverendissimo domino protectori, qui tunc erat dominus *Dominicus de Capranica*, dictus cardinalis Firmanus, valde displicuit.

Coepit igitur pater articulos componere; et *primus* erat, quod omnes fratres minores sive conventuales sive de observantia nuncupati, sive citramontani sive ultramontani reverendissimo patri generali teneantur in omnibus et per omnia obedire. Iste articulus omnibus fuit exosus, eo quod majorem potestatem reverendissimo domino generali quam regula dabat. *Alius* articulus erat, quod fratres de observantia nuncupati in capitulo generali conventualium convenire deberent, nec possent per se facere generalem congregationem, et in eodem capitulo generali eligere sibi tres pro vicariis generalibus, sed unus, quem vellet generalis, praeficeretur eisdem et *vicarius vicariorum* vocaretur. Iste articulus nobis fuit exosus pluribus rationibus, quas gratia brevitatis omitto. *Tertius* articulus fuit, quod vicarii dumtaxat fratrum de observantia nuncupatorum vocem activam dumtaxat in electione generali haberent. Iste articulus contra nostram voluntatem fuit appositus. Semel tamen quidam dominus episcopus hoc audiens dixit: « In veritate, et activam et passivam in electione generali deberetis habere, » cui replicavimus: « Domine! nos nolumus istas voces habere; » respondit: « In veritate, vos non benefacitis; videtur enim, quod hoc modo

Spiritui Sancto resistere velitis.» In veritate puto, quod ille dominus erat bonus pastor et pater. Istum articulum patres conventuales habuerunt supra modum exosum; et propter istum puto, quod nunquam istas bullas patres conventuales acceptare voluerunt.

(f. 13v) Et sic pater frater Jacobus in ista causa procedens multos articulos composuit, de quibus utraque pars contenta restabat; nonnulli tamen ibidem erant articuli, qui nostris fratribus nulla ratione placebant. Rogabant patrem, ut articulos illos mutare aut mitigare dignaretur, et illos audire nolebat. Tunc mihi scripserunt, ut Romam irem. Pater frater Matthaeus de Narnia et ego jussi Romam accessimus. Recitaverunt, quae contigerunt, et mihi dixerunt: « Cum tu sis spiritualis filius patris nostri fratris Jacobi, quia ipse te recepit ad ordinem, te forsitan audiet; nos autem amplius audire recusat. » Accessi ad patrem, et ad nostram petitionem atque informationem nonnulla mutavit.

In ista confectione bullarum fuimus valde tribulati; quia causam nostram fovere nulla ratione poteramus. Papa, licet esset noster pater, nobis tamen erat incognitus. Generalis favebat suis, id est conventualibus; dico suis, quia in eadem erant voluntate concordes. Protector cum summo pontifice non poterat bene convenire, quia de tam magno negotio, quod sibi super omnes incumbebat, penitus erat exclusus. Aliis curialibus nulla erat nobis audacia recurrendi, quia unico verbo cum rubore fuissemus expulsi, scl. « quia causa est in manibus patris vestri fratris Jacobi, nullam habetis causam querelae. » Demum partibus per plures septimanas auditis plena facta fuit in causa conclusio.

De bullis Calixtinis et transumptibus; cum quanta difficultate et qualiter extracta fuerunt per medium reverendissimi domini protectoris.

CAPITULUM 21.

Facta articulorum compositione et utraque parte utcumque contenta in magna tribulatione et fere desperatione positi eramus. Papa erat contentus secundum acceptationem fratris Jacobi; patres conventuales erant contenti taliter et qualiter. Tractabatur, ut secundum morem bullae conficerentur, et tamen pluribus septimanis laboravimus et nunquam, ut minuta saltem conficeretur, obtinere potuimus. Erat enim in itinere transversatus draco[1] magnus, et nos pauperculi nulla noveramus ratione perpendere. Saepius concilia facientes manibus cancellatis more mulieris, cujus maritus defunctus est, tristes et anxii sedebamus in cella.

Frater *Joannes de Prato*[2] quodam sero deposita aliquantulum vecordia dixit: « Vere ego sum praegnans, oportet me parturire. Jam multis diebus in mente mea revolvi, quid dicam, nec dicere ausus fui. Si bene dixero, laudetur clementia Salvatoris, a quo omne datum optimum; si vero male, imponatis mihi poenitentiam, quam libenter agam. Mihi videtur, quod causam nostram in manibus reverendissimi domini protectoris simpliciter ponamus. Spero, quod saltem pro honore suo causam nostram fideliter expediet. » Respondit vicarius provinciae Romanae: « Vere ego similiter pluribus diebus praegnans vixi. » Respondit vicarius provinciae Terrae Laboris et similem conceptum habuisse testatus est; demum omnes eramus in eadem

[1] Codex « drago ».

[2] De illo in sua epist. consol. dicit fr. GABR. VERON., l. c., fol. 10v: « Praetereo Johannem illum Pratensem, quem nescias, an angelus in carne fuit; cui tanta ingenii acuties erat, ut ipsos penetrare videretur coelos. »

voluntate atque timore concordes; quoniam reverendus dominus protector aliqua signa displicentiae nobis ostenderat, nostram causam in suis manibus ponere timebamus.

Hac denique deliberatione de sero conclusa ad suam dominationem nuntios destinavimus nostram deliberationem manifestantes eidem atque tempus et locum audientiae postulantes. Rev. dominus protector audientiam secretam, gratam et longam benignissime dedit. Pater rev. vicarius generalis, frater Baptista, tanquam caput familiae rev. dominationi suae nostram voluntatem exposuit dicens: « Reverendissime domine et pater! omnes isti patres una mecum plenam potestatem habent a capitulo generali in omnibus, quae familiam contingunt, faciendi, disponendi, acceptandi, componendi etc. Jam novimus elapsis temporibus sinceritatem Vestram versus hanc familiam; hinc est, quod confisi de Vestra circa nos bona voluntate, prudentia et sagacitate nomine nostro et totius familiae non solum causam nostram, quam cum patribus conventualibus habemus, sed quidquid familiam contingit, totum reponimus in manibus reverendissimae dominationis Vestrae; certi enim simus, quod non nisi secundum Deum et sanctam justitiam cuncta dispones. »

In veritate difficile esset narrare, quantum ista nostra deliberatio sibi cara fuerit. Coepit respondere, et quasi lacrimae prae gaudio de oculis ejus eruperunt, et dixit: « Aliquantulum tarde venistis, tamen regratior vobis; » et in suis sermonibus ultra quatuor vices hoc verbum replicavit: « Regratior vobis. » Hoc autem puto fuisse, quia, cum esset vir magnae reputationis ubique, tamen in ista causa papa de ipso nullam mentionem fecisse liquet, unde reputabat sibi pro confusione maxima; sed quia isto modo per manus suas bullas transire oportebat, ad honorem suum cessisse putavit. Quantae reputationis vir iste foret, infra dicetur.[1] Demum dixit: « Ostendite

[1] Cap. 27.

mihi articulos, et faciemus minutam (f. 14r); quam cum fecero, vobis ostendam, et si quid aptandum fuerit, addendum vel minuendum, secundum quod melius esse videbitur factum, putate. » Et cum in nostra praesentia articulos legere coepisset, legit primum, qui dicebat, quod in omnibus et per omnia omnes fratres obedire tenentur; ait admirans: « In omnibus et per omnia; non bene sonant ista verba, sed dicamus: teneantur obedire, sicut in regula continetur. » Et ne sermonem nostrum tendamus in longum, fecit minutam; vidimus, et placuit. Deinde fecit ingrossari[1]; et in bulla fuit clausula, quod transumptum subscriptum manu notarii reverendissimi domini protectoris eandem quam bulla auctoritatem haberet ubique. Hoc autem suam dominationem pro suo honore et nostra utilitate fecisse evidentissima ratione probatur.

Et isto modo bullae Calixtinae circa patres conventuales et familiam confectae fuerunt[2]; demum transumpta transcripsimus ita, quod unaquaeque provincia nostrae familiae suum transumptum accepit. Et rev. dominus protector de salario sui notarii transumpta subscribentis nulla nos voluit solutione gravari; sed ex tunc in posterum noster fuit totus.

De bullis cruciatae per summum pontificem Calixtum confectis, quae nostrae familiae non parvam conquassationem dederunt (1457, 1458).

CAPITULUM 22.

Praefatus summus pontifex dominus Calixtus bullas cruciatae confecit, in quibus clausulam posuit, quod etiam qui-

[1] Ingrossare est « luculentius scribere, quod de forensibus instrumentis dici solet » (Du Cange).

[2] Bulla haec (« *Illius, cujus in pace* ») de 2 febr. 1456, apud Wadd. ad an. 1456, n. cxxix.

cumque religiosi ad istam expeditionem etiam absque licentia suorum praelatorum accedere possent et plenariam indulgentiam ut ceteri penitus obtinerent.[1] Tali conclusione audita plerique fratres simul conferentes diximus: « Vere major et periculosior est ista tentatio, quam conventualium persecutio, quae jam quasi sopita videtur; vere diabolus habet mille nocendi modos, et continuo tentat, ut saltem taedio vincat. Ista potestate concessa plurimi levissimi fratres movebuntur et scandala innumera facient, et praelati remedium aliquod adhibere non poterunt. » Et ita contigit; et ut verum fuerit, de multis aliqua succincte narrabo.

In civitate Neapoli de diversis partibus plurimi levissimi fratres congregati fuerunt et plurima scandala faciebant quaerendo eleemosynas, discurrendo per civitatem, curias et portus, et saeculares suis moribus scandalizantes; et praelati nihil eis nedum facere, sed nec dicere poterant, quia in pectore crucem portabant et se summi pontificis auctoritate tuebantur. Tamen dominus providit, quia illa cruciata evanuit, et sic ad obedientiam praelatorum eos redire convenit. Idem Anconae contigit, et in omnibus civitatibus, quae portus habent, illa fantastica multitudo convenit.

Item accidit casus, quod semel Romam pro necessitatibus nostrae provinciae vicarius assistens accessi tempore vicariatus generalis fratris Baptistae de Levanto. Ille tunc quendam laicum nostrae familiae in loco detentionis tenebat inclusum, qui tribus annis crucem gerens et nauta existens quandam galeam gubernaverat; de quo plurimas informationes habuerat, quod multa gesserit non gerenda; et ut illum examinarem, plenam auctoritatem atque potestatem concessit. Accessi et examinavi et bonam sibi gratiam impetravi; et licet sine defectu non

[1] Permultas litteras misit Calixtus III pro praeparanda nova expeditione cruciata; plures videsis apud WADD. ad an. 1457 et 1458, et apud FERMENDZIN, l. c., pg. 230 sqq., quibus fratres familiae cum amplissimis facultatibus nuntii cruciatae instituuntur.

esset, non tamen tam male se gesserat, ut fuerat informatus.[1] Denique aliquali discreta poenitentia imposita, ut eum liberarem, commisit. Liberavi; et mihi singularem concepit amorem. Paucis diebus elapsis in dicto conventu Aracoeli existens bene se praeparavit; venit pestis et percussit eum, et sic vitam istam relinquens migravit ad Dominum.

Quidam alius levissimus frater, quem optime noveram, non tantum levis, sed fantasticus, existens clericus cum quodam alio semifatuo, quem noveram, societatem contraxit, ut transeuntes mare Turcum penitus debellarent. Divisi fuerunt ab invicem; fantasticus venit ad me ferens breviarium socii et volens sine socio Neapolim adire; vix breviarium de manu ejus eripere potui. Demum solus Neapolim iturus viam carpere coepit, sed bene sibi contigit; nam ad primum locum provinciae Terrae Laboris applicans solus a fratribus unam bonam disciplinam accepit et expulsus fuit.

Et isto modo in pluribus partibus plures inconvenientiae ortae fuerunt. Demum videntes fratres pericula, quae per istam cruciatam contingebant, ad summum pontificem accesserunt et quae contigerant scandala narraverunt. Summus vero pontifex de remedio opportuno providit.[2] Fuit insuper periculosa antedicta cruciata, quia plurimi ex nostris praedicatoribus, qui magnam in populis acceptationem habebant, ex commissione pontificis praedicarunt et bona plurima (f. 14^r) exegerunt. Demum quia cruciata fuit permittente Deo in fumum conversa[3], fratres suae famae denigrationem consecuti sunt.

Insuper, quando summus pontifex *Pius* mare transire disposuit, magna ultramontanorum Anconam multitudo con-

---

[1] Ita in codice; rectius « infamatus ».

[2] Cf. litteras pontificis vicario generali die 6 junii 1458 datas, quibus ipsi et vicariis provinciarum conceditur facultas coercendi nuntios cruciatae, apud Wadd. ad an. 1458, n. II (« *Pro nostra spe et fiducia* »).

[3] Discordiis et indifferentia principum christianorum.

venit; et non reperientes rem dispositam, secundum quod fuerat praedicata, multas injurias fratribus intulerunt et comminabantur, secundum quod ego ipse, dum Dalmatiam prima vice transire deberem, extra Anconam expertus fui. Et vidi societates ultramontanorum Anconam convenisse, et nulla praeparatio facta fuerat, et tempus praedicatum advenerat. Audivi, quod multi desiderio honoris fidei tracti, ut venire possent, filios in pignus tradiderant: Unde divina sapientia bene providit; nam summus pontifex Pius Anconam venit ibique obiit.[1] Pro certo, si non obiisset, maxima confusio in ecclesia Dei parata erat; sed quia venit et obiit, multorum mentes quietatae fuerunt. Audivi tamen, quod multi ex illis cruciatis ad propria redeuntes ut puto necessitate famis constricti multa scandala perpetrarunt depraedando et debellando nonnullas patrias simul uniti.

De commissione summi pontificis Calixti facta patri beato fratri Joanni de Capistrano de reductione Boemorum ad fidem, et provincia Austriae inchoata et divisa.

CAPITULUM 23.

Calixtus summus pontifex antedictus noscens regnum Boemiae esse haereticum hoc est in pluribus articulis contra fidem errare, et praecipue, quod ecclesia non potest habere proprium, reliquum quod sit de necessitate salutis, quod quilibet fidelis in utraque specie communicet, beatum patrem fratrem Joannem de Capistrano ad illud mittere disposuit, tribuens potestatem et auctoritatem necessariam.[2] Accessit pater et regnum intrare coepit et multa bona facere. Quod cum au-

[1] Obiit die 14 aug. 1464.

[2] S. Joannes Capistranus anno 1451 a Nicolao V in Germaniam est missus; die 6 dec. 1455 Calixtus III approbavit missionem et facultates sancto a Nicolao V datas (« *Fragrantis tuae laudabilis famae* », WADD. ad an. 1455, n. XVI).

disset haeresiarcha, qui *Rocchaccianus*[1] vocabatur, populum monebat, ne crederet illi, quia ipse erat de praedicatoribus Antichristi. Quaesivit accedere *Pragam,* quae est principalis civitas regni, et nunquam fuit permissus. Offerebat se solum nomine ecclesiae confundere omnes doctores eorum dicens: « Detur locus communis et tutus, ubi libere disputare possimus, et offero me ad ignem, si vos omnes non ostendo confusos. »[2] Nunquam tamen acceptare voluerunt; et sic pater inter parum et nihil[3] facere potuit. Et ne quis putet, hoc patrem ex temeritate praesumere, noverint universi, quod ipse erat singularis canonista. Retulit mihi, quod tempore Martini quinti multi ultramontani Romam veniebant; et ipsi consuerunt non excellentes viros Italicos reputare. Dixit summus pontifex patri: « Unam praedicationem singularem facere studeas. » Dixit mihi: « Studui, et quingentas catholicas conclusiones in una praedicatione praedicavi. »[4]

Denique pater fultus auctoritate summi pontificis loca in partibus illis aedificare coepit; et in regno Boemiae, Poloniae et in Austria nonnulla loca aedificavit, et de his omnibus dictis locis Boemiae, Austriae et Poloniae unam provinciam aggregavit, quam provinciam *Austriae* censuit appellari.[5] Et in brevi temporis spatio plura loca aedificata fuerunt, et cum magno fervore vivere coeperunt, quibus venerabilem patrem fratrem *Gabrielem de Verona,* socium suum, praefecit. Is omnibus carus

---

[1] Joannes Rokyzana.

[2] Multa documenta de actis inter S. Joannem et Rokyzanam affert AMANDUS HERMANN, *Capistranus triumphans seu historia fundamentalis de S. Joanne Capistrano* (Coloniae, 1700), in sectione XVII et XVIII.

[3] Codex « nichi ».

[4] De illo sermone plures S. Joannis Cap. biographi loquuntur; NICOLAUS DE FARA ex. gr., aliqualiter differens, l. c., pg. 445, n. 16: « Erat enim ita ei recens memoria et tenax apprehensio scripturarum, quas legerat, ut repertus sit tempore Martini quinti Romae in campo floreo evangelizans *quadringentas* conclusiones semel in una concione praedicasse. »

[5] Cf. GREIDERER, *Germania Franciscana*, t. I, pg. 270 sqq.

erat et dominis temporalibus mirabiliter acceptus, cui post obitum beati patris fratris Joannis causa Boemorum commissa fuit, cujus occasione multos labores, sudores et pericula pertulit. Denique in commissis bene se gessit, quod primo ad dignitatem archiepiscopatus, postea ad cardinalatus dignitatem assumptus est.[1] Is etiam provinciam optime gubernavit et secundum voluntatem patris facere cuncta curavit. Socius ei et adjutor carus in regimine illius provinciae fuit venerabilis pater frater *Christoforus de Monsa,* qui alias *de Mediolano* dicitur.[2]

Verum quia illa provincia habet loca multum distantia, alterum ab altero male poterat gubernari; hinc evenit, quod in plures dividere fuit opus; et ideo in tres provincias partita fuit: una provincia *Boemiae,* alia *Austriae,* tertia *Poloniae* nomen accepit; et haec omnia de voluntate pariter et assensu summi pontificis gesta fuerunt.[3] Pater beatus frater Joannes antedictus dictam provinciam auctoritate et voluntate summi pontificis vicario generali citramontano sive italico fratrum de observantia nuncupatorum non sine ratione subjecit.[4]

De mirabili acceptatione patris in partibus illis, et cum quanta reverentia et caritate ab omnibus magnis et parvis et commotione mirabili populorum et devotione ad ipsum et socios ejus,[5] et de fervore in aedificatione locorum et provisione vitae fratrum, et quam magna fratrum multitudo in brevi tempore creverit, et de operatione (f. 15r) virtutum et miraculorum ob merita patris in partibus illis Alamanniae, non est nostrae

[1] Nominatus est episcopus *Agriensis* die 24 apr. 1475 (EUBEL, l. c., t. II, pg. 93) et promotus ad purpuram, uti jam dictum, 1477, die 10 dec.

[2] Est frater Christophorus *de Varisio,* qui vitam sancti Joannis Cap. conscripsit.

[3] Cf. litteras Pauli II de 16 junii 1467 (« *Ad ordinem vestrum* ») apud GREIDERER, l. c., pg. 278.

[4] « Mandantes, ut generali vicario cismontano pro tempore existenti efficaciter et humiliter pareant, » Nicolaus V in suis litteris (« *Dum praeclara dilectorum filiorum* ») de 6 martii 1452, apud GREIDERER, l. c., pg. 271.

[5] Addendum videtur « sit exceptus ».

intentionis hic aliquo modo tractare; certus sum, quod ii, qui vitam patris scripserunt, haec omnia politiori stilo et ordine convenienti memoriae commendarunt. Hoc tantum verbum hic addere volo, quod familia antedictarum provinciarum ob merita et orationes patris usque nunc bene se gessit. Pro certo mihi visum est hoc esse mirum, quod tanta familia in tam brevi spatio temporis aggregata in bona vixerit observantia; et recolo, quod quando mirabiles commotiones populorum et plurium juvenum conversionem audiebam, saepius in mente dubitavi, quod, talis conversio tam breviter facta vix bonum finem potuisset habere, quia sicut repente elevata, sic repente videretur esse casura, quasi bonum fundamentum habere non valens. Tamen ob merita patris divina sapientia bene disposuit.

De debellatione Turci
et victoria christianorum cruciatorum et obitu patris (1456).

CAPITULUM 24.

Audiens pater frater Joannes, quod Turcus magnam praeparationem contra christianos faciebat, ut terram quandam, quae est in litore Danubii, occuparet,[1] quae est magnum obstaculum Turco et magnum auxilium christianorum et praecipue regni Ungariae, tanquam leo currens ad praedam contra Turcum se opponere voluit. Et quia multitudinem cruciatorum congregaverat et continuo congregabat, relicta Alamannia ad Ungariam perrexit seseque reverendissimo domino legato domini nostri, cardinali *sancti Angeli* praesentavit.[2] Fama vero patris apud populos illos ita creverat, quod de reverendissimo domino legato sedis apostolicae videbantur obliti et solum Capistranum in ore

[1] Civitas *Belgradi.*
[2] Cardinalis *Joannes Carvajal.*

gestabant. Pater vero, secundum quod mihi sui socii retulerunt, omnem reverentiam, quam poterat, faciebat ipse et, in quantum poterat, ab aliis exhiberi faciebat; tamen quia devotio populorum erat ad ipsum, vix quod suum erat, secundum suum desiderium perficere poterat. Ipse semper ecclesiasticis praelatis etiam minimis maximam reverentiam exhibere consueverat. In tanta multitudine ignotae linguae, quod debitam reverentiam reverendissimo domino legato faceret exhiberi, nulla videtur ratione possibile; agebat tamen, quod poterat.

Tandem Turcus cum maximo exercitu venit.[1] Pater vero secundum possibilitatem suam nihil agendum obmisit diu noctuque vigilans, litteris et nuntiis sollicitans defensionem fidei. Denique Turcus, ut castrum obtineret, per aquas Danubii multa vela direxit omni qua noverat et poterat virtute munita. Christiani vero hoc videntes, ut vela Turcorum in medio christianorum clauderentur, ordinem dederunt; et ita de facto contigit, quod omnes naves Turcorum in medio navium christianorum conclusae fuerunt. Turci vero videntes, quod evadere non valebant, omnes naves demerserunt in aquas seseque salvaverunt in terra; omnes Turcorum naves exceptis quatuor, ne essent contra se in auxilium christianorum, suffocaverunt in aquas.

Ordinaverat etiam per terram exercitum magnum; tandem etiam perditis navibus terram occupare putavit; ordinavit machinas ad destructionem murorum; praeparavit exercitum, ut destructis muris terram caperet, homines occideret et captivaret et venderet et castri dominus effectus magnam contra christianos superbiam ostenderet. Suis machinis castri muros in magna quantitate destruxit; intrant castrum Turci, et magna praesumptione magnaque violentia et animositate se dominos esse putant;

---

[1] De pugna et victoria christianorum ad Belgradum multae exstant relationes, quae non ubique conveniunt, de quibus differentiis plures scripserunt; cf. PASTOR, l. c., pg. 694 sqq.; relatio, quae hic inseritur, in *sociorum* S. Joannis Cap. narratione fundatur.

occupatur terra, et sola arx pro christianis tenetur. Stat pater in arce cum sociis et orationibus et consiliis juxta posse confortat; et cruciatis admonitionem dederat, ut, quando ipse vocaret voce magna « Jesu », omnes responderent « Jesu », ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Contra muros arcis machinae ponuntur, trahuntur machinae, et arcis muri in magna quantitate sternuntur; et Turci quingenti vel circa arcem ingrediuntur, et jam Turci quasi domini sunt. Bonus Dominus, ut ostenderet, quod propter merita servi sui victoriam faceret, locum, in quo morabatur, miro modo defensare voluit. Erant namque in arce arundines pice perunctae sive impeculatae, quas (f. 15^{v}) christiani accipientes accendunt et non parva, sed maxima animositate super Turcos jacere incipiunt. Clamat pater « Jesu », et omnis christianorum exercitus respondet « Jesu ». Et tantus rumor tantusque terror super Turcos oritur et super christianos fervor, quod jacendo impeculatas arundines et vociferando « Jesu » Turci vilescere coeperunt et fugere. Maxima tamen ipsorum multitudo in fossatis castri per arundines infocatas exusta et in castro per christianos interfecta remansit. Et soli quinque [milia][1] cruciati, prout retulerunt socii patris, qui praesentes fuerunt, omnem Turcorum exercitum converterunt in fugam. Tunc christiani resumptis viribus persecuti eos per longum spatium terrarum; pater vero una cum exercitu christianorum Turcos fugabat, et cum in medio sagittarum quasi continuo staret, a nulla tamen extitit laesus, quod christiani miraculum esse putarunt. Audivi, quod christiani cruciati erant sexaginta milia. Et Turci reliquerunt omnes machinas, et multa milia ipsorum interfecta fuerunt. Et audivi, quod Turci retulerunt, quod, quando christiani coeperunt clamare « Jesu », perdiderunt

[1] Deest in codice « milia »; cf. epistolam fr. *Nicolai de Fara* (apud Wadd. ad an. 1456, n. XLVIII): « neque in bello totus christianus exercitus fuit, sed juxta quinque millia. »

animum, perdiderunt vires corporis; fugiebant quasi nemine persequente, et lanceae et alia arma, quasi essent membris destituti sive infirmi, de manibus cadebant. Et postquam per aliqua terrarum spatia Turcos persecuti sunt, relictis Turcis revertuntur ad castrum Domino nostro Jesu Christo, in cujus nomine victores extiterant, et beatae Mariae Magdalenae, in cujus festivitate gestum est bellum habitaque victoria, [gratias agentes];[1] credendum est enim, quod illa, quae tantum suum Dominum Jesum dilexerat, pro christianorum victoria ipsum ferventer fuerat exorata.

Et quia pauperculus pater intolerabiles labores tulerat pro defensione christianae fidei, non multo post habitam victoriam in terra Vylac infirmatus et mortuus est. Et statim divina providentia servum suum innumeris miraculis honorare coepit et usque hodie mirabiliter honorare non cessat. Socii tamen ejus, quos ego sibi de nostra provincia miseram ad partes istas,[2]

---

[1] Deest in codice « gratias agentes », et bis legitur « Mariae ». Victoria est habita die 22 julii 1456.

[2] Litteras obedientiales a B. Bernardino fratri *Joanni de Tagliacotio* et fratri *Ambrosio de Aquila* datas habet fr. Hugo de Pesco Costanzo, *Memorie dei beati Tommaso da Cascina, Apollonio da Aquila, Ambrogio da Pizzoli, Antonio da Sulmona* (Venezia, 1877), pg. 97: « In Christo sibi dilectissimis fratribus Joanni de Taliacotio sacerdoti et Ambrosio de Aquila laico ordinis minorum frater Bernardinus Aquilanus, ejusdem ordinis vicarius provinciae S. Bernardini, salutem et pacem in Domino sempiternam. Cum R. P. fr. Joannes de Capistrano, corona fratrum nostrorum, de partibus ultramontanis pro vestrarum virtutum praerogativa petierit, ut intuitu caritatis ad ejus præsentiam vos transmittere dignarer; hinc est, quod cum tanto patri nihil negandum esse putem, de vestrarum virtutum singularitate morumque honestate vitaeque exemplaritate confisus, praesentium tenore praecipio ad meritum obedientiae salutaris, quatenus ad praefatum patrem, ubicumque fuerit, in Bohemia vel extra, accedere debeatis. Et, si Deo permittente sive volente contigerit, quod alteruter vel infirmaretur nimis graviter vel moreretur, possit superstes cum socio occurrente vel assignato ad ejusdem patris praesentiam proficisci, et ejusdem voluntatem implere teneamini de mora vel recessu. Fratribus vero omnibus praelatis ac subditis praesentes litteras inspecturis, per quorum loca vos transire vel moram facere contigerit, carius in Domino recommendo. Valete in Christo et orate pro me. Datum in convento S. Francisci Aquilae die 12 augusti 1451. » L. c. habetur 1452, quod falsum esse patet tum ex eo, quod B. Ber-

multa miracula scripta retulerunt, quae per viros a domino illius terrae constitutos ad hoc examinata et scripta fuerunt.[1] De vita tamen et morte et miraculis patris me aliter non intromitto, quia patres praedicti, frater Christoforus et frater Nicolaus, longo sermone scripserunt.

De capitulo generali Mediolani, in quo patres conventuales bullas Calixti acceptare noluerunt, et de aliis quibusdam ibidem contingentibus (1457).

CAPITULUM 25.

Tempore illustrissimi ducis Mediolani Francisci Sforza solemnissimum generale capitulum Mediolani extitit celebratum, in quo totus ordo conventualium et observantium ultramontanorum et citramontanorum convenit. Reverendissimus generalis magister *Jacobus de Mozanica,* ut totus ordo simul in conventu conveniret, fratribus nostris, ut nullam in loco nostro *sancti Angeli* faceret provisionem de cibo et potu, per obedientiam praecepit; et sic nulla ibi fuit facta provisio. Cives non parum de hoc admirantes indignati fuerunt, et fama diffusa negotii per cives fere tota civitas commota fuit, et statim multiplices victualium currus ad locum venire coeperunt, ita ut omnes forenses mirabiliter stupefacti fuerint; omnes tamen ad conventum *sancti Francisci* ad refectionem ibamus.

Venit tempus, quo ad actus capitulares accedendum erat; et tunc sicut supra tetigi de factis patrum conventualium, non parva nobis orta suspicio fuit, ne quid inconvenientiae contra

---

nardinus 1452 non fuit vicarius provinciae, tum ex epistola fr. Joannis de Tagliacotio ad S. Jacobum Picenum de morte S. Joannis Cap. scripta, qua dicit: « Beatissimus pater *ex Cracovia* litteris petiit, ut ego cum fratre Ambrosio Aquilano ad eum veniremus » (WADD. ad an. 1456, n. LXXXI), sanctus Joannes autem venit Cracoviam die 28 augusti 1453 (cf. WADD. ad an. 1453, n. II).

[1] Cf. *Acta SS.*, l. c., commentarius praevius § XXVII et XXVIII.

nos contigeret. Accessimus ad illustrissimum ducem, qui tandem mentes nostras bona sermocinatione placavit; et tunc in pace quievimus. Rev. pater frater *Baptista de Levanto,* tunc vicarius generalis, videns quod patres conventuales secundum tenorem bullarum Calixti nostros vicarios ad actus capitulares admittere nolebant, praevidit sibi judicem, notarium et testes, ut si opus foret, sicut contigit, contingentem actum in publicam formam redigeret. Tangitur campanella,[1] ut moris est, ad capitulum. Pater comparet cum vicariis familiae; generalis fugit et ipsos acceptare dissimulat. Pater frater Baptista sequitur eum; tandem ad ostium loci capituli ut intrarent accedunt. Generalis videns, quod amplius dissimulare non poterat, apertam licentiam dedit dicens: « Ite, pro factis vestris nolumus quod intretis. » Tunc pater frater Baptista dixit: « Sitis vos judex et notarie et testes rogati, qualiter reverendissimus generalis nostros vicarios ad actus capitulares secundum voluntatem summi pontificis non vult acceptare. » (f. 16[r]) Et isto modo delusi recessimus.

In isto capitulo plura memoria digna contigerunt. Inter alia contigit, quod quidam frater nomine vicarii et provinciae Ungariae fratribus totius capituli capitulariter congregatis coram generali genua flexit et irrequisitis fratribus nostrae familiae altissima voce dixit: « Reverendissime pater! ego pro parte patris vicarii et totius provinciae nostrae dico vobis et expono, qualiter nos sub obedientia vicarii generalis familiae italicae nolumus esse, sed secundum regulam sub obedientia reverendissimae paternitatis vestrae et successorum vestrorum intendimus esse. » Tunc frater Baptista impetrata licentia a generali dixit illi: « Quales sitis, mores vestri ostendunt; nunquam familia italica vos quaesivit. Vos venistis ad nos, et nos ex caritate vos fraterna recepimus. Bene facitis, quod pro receptis beneficiis gratias redditis competentes. » Et cum generalis ex tunc illos

[1] Codex « campalla ».

acceptare vellet, pater frater Baptista dixit: « Reverendissime pater! Vos non potestis hos viros acceptare, quia per bullas summi pontificis nostrae sunt familiae incorporati. » Et sic illos usque ad tempus suspensos reliquit et non acceptavit.[1] Postea constitutio facta fuit, quod fratres de observantia nuncupati, qui nostro vicario generali non subsunt, recipiantur in locis nostris ut conventuales. Et ex tunc constitutio servata est; et in veritate melius fuisse pro nobis evidenti ratione probatur, quia nobis major pax subsecuta est.

Item indulgentia plenaria impetrata fuit per unam diem naturalem, secundum quod est de consuetudine ecclesiae; et ad civitatem Mediolani magna multitudo hominum ista ratione concurrit. Et quia in descensu liminis ecclesiae unus later deficiebat, multi ceciderunt in terram, et decem et septem per conculcationem pedum multitudinis interfecti fuerunt. Insuper fama erat, quod magnam eleemosynam conventus acquisivit, scl. decem milium ducatorum; erat enim turba tam magna, quod, qui non vidisset, vix credere potuisset.[2]

Item fuit acceptatum officium novum sancti Bernardini, quod incipit: « *Bernardinus vir catholicus et praeco evangelicus,* »[3] quod quidam frater de *Adversa* provinciae Terrae Laboris confecerat; nihilominus per subsequentem generalem cum

---

[1] Apud WADD. ad an. 1458, n. III, litterae Calixti III (« *Regimini universalis ecclesiae* ») de 24 maji 1458, quibus vicaria Hungariae subjicitur ministro generali. Cf. FRIDRICH, *Historia provinciae Hungariae* (Cassoviae, 1759), pg. 12, n. 23.

[2] *Chronica Bossiana* DONATI BOSSII *gestorum dictorumque memorabilium* (Mediolani, 1492), ad an. 1457: « Anno Domini 1457 die quarto et quinto junii: Jubileus plenarius Mediolani in sancto Francisco celebratus est: in quo tantus fuit advenarum concursus: ut vix urbs multitudinem caperet: ferunt fuisse milia hominum centum de exteris dumtaxat. Collisi sunt inter mares feminasque ab imprimente multitudine in ipso vestibulo templi numero quindecim; » WADD. ad an. 1457, n. LII, addit: « *Septemdecim* enumerat Marianus, asseritque tot tantasque fuisse fidelium oblationes, ut aureorum decem millia transcenderint. »

[3] Cf. BLUME et DREVES, *Analecta Hymnica,* t. XXV (Lipsiae, 1897), pg. 156.

aliquibus ministris et vicario generali in sancta Maria de Angelis revocatum fuit.

Item fuit determinatum per totum generale capitulum et conclusum, quod provincia ista, quae prius provincia Pennensis vocabatur, ob reverentiam sancti Bernardini, qui requiescit in illa, deinceps *sancti Bernardini provincia* vocaretur.

Item una dierum illustrissimus dominus dux Franciscus cum illustrissima ducissa domina *Blanca* ad ostensionem peculiaris amoris et devotionis solis fratribus observantibus in loco nostro sancti Angeli convivium fecerunt; et mensis paratis in stratis hortorum ipsi cum fratribus comedere voluerunt, illustrissima domina ducissa in angulo horti cum pluribus dominabus honestissime sequestrata. Ex speciali tamen gratia impetravit, ut positis ad mensam fratribus ipsa pro sua consolatione cum paucis honestissimis matronis fratres omnes videndo transiret; transit domina, et fratres capitibus inclinatis in modum eorum, quibus fluit sanguis de naribus, stabant rubore confusi.

In eodem loco capituli, ut in civitate *Venetiarum* sequens generale capitulum fieret, certa fuit deliberatione conclusum.

Tandem soluto capitulo paucis diebus elapsis reverendissimus generalis magister Jacobus de Mozanica vita functus est.[1]

De capitulo generali Romae celebrato et electione novi generalis et pluribus aliis, quae tunc contigerunt (1458).

CAPITULUM 26.

Expedito capitulo Mediolanensi atque magistro Jacobo de Mozanica generali ex hac vita subtracto summus pontifex Calixtus, ut moris est in religione, vicarium generalem, quemdam

---

[1] Obiit die 9 julii 1457.

magistrum Catalanum, instituit,[1] et locum capituli generalis sua auctoritate mutavit et, quod Venetiis fieri debebat, Romae in Aracoeli fieri instituit; et hoc, secundum quod percipere potuimus, ad hunc finem facere deliberavit, ut illum Catalanum generalem faceret.

Capituli tempore adveniente Romam perreximus et in magna fuimus dubitatione constituti, quia, cum patres conventuales bullas Calixtinas nunquam acceptassent, et summus pontifex nihil nobis nec amicis nostris nec reverendissimo domino protectori de factis nostris aliquid declararet, non parum suspicionis animas nostras dolore vexabat. Vigili sollicitudine intentionem pontificis nosse curabamus (f. 16v) et nulla ratione invenire valuimus. Summus pontifex fratribus intimavit, qualiter volebat, quod reverendissimus dominus protector nostro capitulo interesset et potissime electioni generalis noviter eligendi. Summo pontifici diei capituli et electionis generalis notificatio datur; venit reverendissimus dominus vicecancellarius[2] et reverendissimus dominus protector, et in medio primae mensae in refectorio collocantur. Expleto sono campanellae, ut moris est, ad capitulum vocantur fratres observantes citramontani et ultramontani, qui a conventualibus erant separati, ut pauci ipsorum ad locum celebrandae electionis conveniant; et accesserunt octo, quatuor citramontâni et quatuor ultramontani.

Tunc R. D. vicecancellarius legit coram omnibus breve summi pontificis hujus tenoris, scl. quod fratres de observantia nuncupati pro illa vice dumtaxat non haberent vocem in electione generalis et pro suo vicario eligant unum vel plures, secundum quod eis placuerit, aliis omnibus in bullis contentis in suo robore remanentibus. Tunc reverendissimus dominus protector annuit oculis nostris fratribus, ut genua flecterent et,

[1] Fr. *Jacobus de Sarzuela.*
[2] Cardinalis *Rodericus Borgia,* postea papa sub nomine *Alexandri VI.*

quae pontifex petebat, simpliciter acceptarent. Responderunt fratres genibus flexis, quod hoc parum erat, et quod ad ista et omnia, quae sua sanctitas vellet, erant paratissimi. Revertuntur fratres jucundi, et statim facientes capitulum fratrem *Baptistam de Levanto* generalem vicarium fecimus in multa hilaritate, unitate et caritate concordes.

Summus pontifex erat curtiscianus, antiquus, prudens et optimus canonista. Unde volens Catalanum, jam vicarium ordinis institutum, facere generalem cogitavit, quod, si capitulum Venetiis factum fuisset, nihil ad votum venisset; sed, si coram oculis ejus et in curia fieret, majorem fratres respectum haberent; eapropter de Venetiis ad Romam capitulum mutare voluit. Item si fratres observantes in electione generali vocem habebunt, Catalanus meus non aliqua via mundi ad gradum generalatus ascendet, quia ipsi homines non timent, illum, quem conscientia dictaverit, generalem facient, quia conventuales divisi, ipsi sunt in voluntate concordes; et sic melius est inhibere illos, ne vocem dent hac vice dumtaxat in generalis electione. Et ut facilius animos fratrum ad suam voluntatem flecteret, quinque diebus toti capitulo expensas facere promisit; et quia fratres demum cum sua voluntate concordarunt, tres alios addidit et octo diebus fecit expensas. Et quod sua sanctitas hoc gessisset in mente et fuerit operatus ut supra, hoc evidentissimo signo monstratur; quoniam summus pontifex cum aliquibus dicere consuevit secundum relata cujusdam reverendissimi domini cardinalis: « Magna pro certo est gloria nationis Catalanae diebus nostris: papa Catalanus, rex Aragonum et Siciliae Catalanus, vicecancellarius Catalanus, capitaneus ecclesiae Catalanus,[1] generalis ordinis minorum Catalanus. »[2]

Patres vero conventuales in suo capitulo processerunt, et

[1] *Petrus Ludovicus Borgia,* frater Roderici.

[2] De magnis favoribus, quos Calixtus III Catalanis exhibuit, cf. PASTOR, l. c., pag. 749.

tandem Catalanum illum secundum pontificis voluntatem generalem fecerunt. Et notandum, quod ille actus humilitatis fratrum nostrorum ita suae sanctitati fuit carus et acceptus, quod ex tunc in posterum noster fuit singularis amicus et pater. Demum completo capitulo quatuor citramontani et totidem ultramontani observantes impetrata audientia ad suam sanctitatem accessimus pro receptis beneficiis gratias reddituri. Gratissimam audientiam dedit gratiasque plures desideratas concessit et se concessurum obtulit.

Soluto vero capitulo pater vicarius generalis me secum Romae retinuit et patrem fratrem *Marcum de Bononia*. Tunc generalis novus novas bullas facere volens, quia Calixtinas acceptare noluerunt, — et papa quasi cum ipsis velle concordare videbatur — de novis bullis et nova concordia coepit nobiscum habere sermonem; et ita largē nobiscum loquebatur, quod videbatur omnino mirandum. Quaedam enim capitula fecit et nobis ostendit dicens: « Si vobis bona videntur, cum Dei benedictione acceptare dignemini; si videntur aliqua addenda, addantur; si minuenda, minuantur; si nova fienda, fiant; » et suis verbis ita mentes nostras commovit, quod quasi eramus prope consensum. Pater frater Marcus dicebat: « In veritate, si hoc factum in sola mea potestate consisteret, cum isto generali concordiam facerem, ex quo nobis tanta et talia profert. » Dominus vero protector dicebat: « State firmi, pauperculi! quia si unum iota de bullis minuitur, estis omnino destructi. » Et sic constantes extitimus, ita quod oblationibus generalis nunquam consentire voluimus.

Pater vero (f. 17r) frater Marcus una dierum tristis et manibus cancellatis existens dixit: « In veritate, ego nunquam sicut hodie nos in tanto periculo vidi. Generalis Catalanus, quaecumque vult, intrat ad papam; reverendissimus dominus protector cum papa nihil potest; pauci sunt amici nostri, qui nos in veritate juvare volunt. Ego reperio me male contentum. »

Ego vero ridere coepi. Ille dixit mihi: « Tentatio! quid tu rides? » Respondi: « Quia, cum sis vir magnanimus, te video inani timore concussum. » Respondit: « Ego meae dubitationis causam allegavi; tu quid pro te habes? » Respondi: « Nosti, quod a multis annis citra in omnibus familiae tribulationibus simul fuimus. Multa secundum nostram providentiam fecimus; nunquam tamen nostra provisio habuit effectum. Divina tamen providentia fata nostra pro sua bonitate multo melius, quam nos cogitavimus, sua miseratione disposuit. Certus sum, quod etiam nunc suos pauperculos servos, qui justitiam fovent, non relinquet. » Respondit: « Ego non de divina, sed humana providentia loquor. Iste etiam summus pontifex secundum relata in una hora pluries mutatur. » Dixi: « Verum est in his, quae verbo promisit; in his vero, quae scripsit, quasi turris videtur esse fortissimus; et ideo, si nos firmi steterimus, bullae nostrae absque dubio manebunt intactae. » Et ita fuit.

Nos vero audivimus, quod patres conventuales summo pontifici continuo suggerebant, ut de nullitate bullarum sententia daretur; et secundum quod aestimare potuimus, papa dicebat, prout etiam quandoque dixerat: « Nos sanguine nostro istas bullas confecimus. Si alias bullas habere desideratis, sitis cum fratribus ipsis; et cum eritis in eadem voluntate concordes, nos advisate, et quae vobis placita erunt, nostra auctoritate roboris firmitatem accipient. » Ideo generalis cum magistris tanta nos sollicitudine molestabant. Placuit tamen divinae providentiae, quod nihil de bullis Calixti extitit innovatum.

De obitu summi pontificis Calixti, serenissimi regis Alfonsi et reverendissimi domini Firmani, protectoris (1458).

CAPITULUM 27.

Quia jam Romae nihil agebatur, pater vicarius generalis, ut Aquilam redirem, mihi licentiam concessit; et prius tamen quam de Romana civitate recederem, quod serenissimus rex Aragonum et Siciliae *Alfonsus* ex hac vita transivit, Romam fama pervenit.[1] Tunc summus pontifex mirabile edictum in valvis ecclesiae principis apostolorum poni fecit, cujus tenor erat talis: « Notum sit omnibus praesentes litteras inspecturis, qualiter per obitum bonae memoriae filii nostri regis Alfonsi, regis Siciliae et Aragoniae, regnum Siciliae ad nos et sedem apostolicam rediit. Audivimus, quod nescimus quis *Ferdinandus* se pro rege gerit, et quod plerique illi juraverunt homagium. Nos auctoritate apostolica omnes illos a juramento absolvimus, et quod nec illi nec alii obedientiam praestent, sub poena excommunicationis latae sententiae districte praecipiendo mandamus. »[2]

Et statim suo nepoti, nomine *Borges*, quem exercitus ecclesiae instituerat capitaneum, ut exercitum versus *Terracinam* dirigeret, in mandatis dedit; et ita ille facere coepit. Volebat enim illum omnino de regno expellere et regnum ipsum ecclesiae restituere. Romani vero cives hoc videntes in magna fuerunt tribulatione constituti videntes, quod facta eorum male transibant, quoniam Romana civitas cum omnibus pertinentiis sine subsidio regni Siciliae vix vivere potest. Hinc sumpta occasione Romani cives, officiales et privatae personae, impetrata

---

[1] Obiit die 27 junii 1458.

[2] Videsis bullam de 14 julii datam apud RAYNALDUM, *Ann. eccl.* ad an. 1458, n. XXXII. Ferdinandus (Ferrante) fuit filius naturalis regis Alfonsi.

audientia pontificem sunt allocuti rogantes, ut hanc guerram nulla quavis ratione moveret, allegantes multa et dicentes. Pontifex vero omnes, quo potuit modo, repulit meliori assentireque nullatenus voluit. Imo exercitus ecclesiae continuo versus Terracinam tendebat, ut ibidem data opportunitate Ferdinandum et suos ea, qua poterat, virtute invaderet, eoque pulso ad sedem apostolicam regnum rediret.

Rebus ita confuse permanentibus de Romana civitate recessi Aquilamque veni. Vix Aquilam reversus in terra pedes posueram, et summum pontificem Calixtum esse defunctum per totam civitatem vulgatur.[1] Miror et stupeo; et nec miror nec stupeo. Miror et stupeo, quia incolumem paulo ante reliqui et mortuum esse ita repente persensi; non miror nec stupeo, quia cum homo esset, mortis legi subjectus erat, quae nec honori nec dignitati parcere consuevit.

(f. 17[v]) Imo paulo post et rumor insonuit, quod dominus reverendissimus cardinalis Firmanus et protector nostri ordinis mortuus est. Mirati fuimus et non sine tribulatione transivimus, quia mors talium ac tantorum virorum ita repente secuta non sine magno conflictu contingere poterat. Ubi notandum est, quod primo summus pontifex obiit, deinde protector. Dominus vero *Latinus de Ursinis*, cardinalis Ursinus, dixit, quod mortuo Calixto et Firmano in infirmitate jacente cardinales reverendissimi secundum morem Romanae ecclesiae in conclavi se clauserunt et dominum cardinalem Firmanum elegerunt. Unde praedictus reverendissimus dominus de Ursinis dixit: « Reverendissimus dominus cardinalis Firmanus et protector ordinis vestri mortuus est papa, quia paulo post electionem ex hac vita transivit. »[2]

---

[1] Obiit Calixtus III die 6 aug. 1458.

[2] Obiit cardinalis Firmanus (Capranica) die 14 augusti, et die 16 intraverunt cardinales conclave ad novum pontificem eligendum; quare verba cardinalis Ursini non de conclavi sensu proprio, sed de deliberationibus antea factis sunt intelligenda.

Iste summus pontifex fratri Jacobo de Marchia, de quo supra, singularem devotionem habebat; et hoc aliquibus signis ostendit. Nam ut supra scripsi cap. 20, causam totius ordinis mira liberalitate commisit. Item semel existente coram ipso summo pontifice ipso fratre Jacobo et fratre Gabriele de Verona, qui nunc sanctae Romanae ecclesiae reverendissimus cardinalis existit, ad aures fratris Gabrielis ad se vocati voce submissa dixit: « Vides hunc patrem meum, fratrem Jacobum, vere ipse sanctus est; in veritate, si temporibus nostris morietur, catalogo sanctorum infallanter adscribam. » Divinae tamen providentiae placuit, ut prius quam frater Jacobus summus pontifex ex hac vita transiret.

De novo modo vivendi familiae tempore Pii secundi introducto et nonnullis, quae tempore suo contigerunt (1458).

CAPITULUM 28.

Post obitum Calixti summi pontificis et reverendissimi domini cardinalis Firmani electi pontificis, ut supra, reverendissimi domini cardinales ad alterius electionem procedunt, et operante divina clementia *Pius secundus,* qui prius *Aeneas* vocabatur et poeta laureatus extiterat, novus papa creatur; de quo dicunt, quod eodem anno episcopus Senensis cardinalis et papa efficitur.[1] Postquam vero divina clementia hunc populi sui pontificem habere voluit, tempore competenti reverendus pater vicarius generalis summi pontificis audientiam habere promeruit, cui nostras necessitates exponens dixit: « Beatissime pater! quantas altercationes cum patribus conventualibus hactenus habuimus propter bullas bonae memoriae Eugenii,

[1] Creatus est cardinalis die 17 dec. 1456 et electus papa die 19 aug. 1458.

Sanctitas Vestra novit. Demum propter plurimas contentiones in his habitas bonae memoriae Calixtus, Vestrae Sanctitatis immediatus praedecessor, novas bullas super nostro modo vivendi condidit et Eugenianas suspendit. Patres conventuales bullas domini Calixti nunquam acceptare voluerunt; Eugenianae sunt suspensae, et Calixtianae non sunt acceptatae per eos; propterea, quo modo vivamus, scire non possumus. Placeat Sanctitati Vestrae de opportuno remedio providere. » Respondit summus pontifex et dixit: « *In verita, vui avete una gran rascione;* fiat ut petitur. » Et tunc quatuor reverendissimis cardinalibus et duobus episcopis causam audiendam dumtaxat commisit; praedictorum omnium dominorum nomina ignoro.[1]

Hi autem reverendissimi domini per quatuor menses ab utraque parte causa diligenter audita postea domino nostro Pio antedicto retulerunt. Postea vero ambas partes, conventuales videlicet et de observantia nuncupatos, coram sua sanctitate vocari fecit eisque dixit: « Isti fratres mei domini reverendissimi cardinales et episcopi retulerunt nobis se causam vestram diligenter audisse; et ex eorum relatione causam vestram majorem discussionem requirere intelleximus. Et quia ecclesia nunc est occupata in majoribus, hinc est, quod volumus et ita mandamus, ut vivatis secundum tenorem bullarum Eugenii bonae memoriae praedecessoris nostri hoc addito, quod nulla partium alterius audeat recipere conventus vel monasteria sub poena excommunicationis latae sententiae, cujus absolutionem

---

[1] Nomina eorum inveniuntur in bulla Pii II « *Pro nostra ad beatum Franciscum* » de 11 oct. 1458: « Ea re aliquando cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus communicata venerabili *Bessarioni* fratri nostro episcopo Tusculanensi, necnon ordinis ipsius protectori, et dilectis filiis nostris *Gulielmo* tit. sancti Martini in Montibus *Rothomagensi,* ac *Alano* tit. sanctae Praxedis *Avenionensi,* necnon *Nicolao* tit. sancti Petri ad Vincula, presbyteris cardinalibus, et venerabilibus fratribus nostris *Angelo Reatino* et *Joanni Barcinonensi* episcopis commisimus » (WADD. ad an. 1458, n. XX).

sedi apostolicae reservamus, quousque aliud per ecclesiam fuerit determinatum. »[1]

Habita praedictorum notitia ego dubius existens propter ultima verba suae sanctitatis, videlicet « quousque per ecclesiam etc.; » idcirco ad dominum *Franciscum de Thomeis* Aquilanum, qui eo tempore Aquilae morabatur, repente perrexi; hunc ejus vicarium, dum esset Senensis episcopus, fuisse noveram, et eo tempore ecclesiae principis apostolorum ab eo fuerat vicarius institutus; ejus mores bene nosse putabam, et dixi: « Pater et domine mi! dominus noster ita conclusit, prout supra scripsi. Aliqualis tamen suspicio meam mentem conturbat, quia dicitur: " quousque per ecclesiam aliter fuerit determinatum. " Vellem a vobis scire, quid (f. 18^r) vestra Reverentia credit, scl. an papa sit in hac conclusione mansurus, vel intendat aliter immutare. » Tunc ille bonus homo et sacerdos Dei altissimi super caput suum manum posuit dicens: « Super caput meum credatis, quod papa nullo modo intendit aliquid immutare, sed illa verba tantum apposuit, ut importunitates conventualium valeat evitare. Estote ergo contenti et certi, quod tempore suae sanctitatis nulla immutatio fiet. » Et ita accidit, ut ille pater mihi praedixit; nam ex illo tempore cum conventualibus familia in pace quievit.

Vellem, quod ea, quae nunc memoriae commendo, omnes nostri fratres notarent. In veritate mihi videtur, quod huic summo pontifici Pio valde obligati simus, eo quod in hoc singulare beneficium donavit. Quasi per totam ecclesiam Dei eramus confusi propter oblocutiones conventualium, quod bullae Eugenianae, sub quarum observatione familia vivebat, erant subreptitiae; et consequenter contra conscientiam vivere monstrabatur. Et licet ista essent falsa, quia bullae erant verae et sanctae, ut supra scripsimus, tamen familiae fama in hoc apud

[1] Argumentum breve bullae jam dictae, quae data die 11 oct. prodiit die 20 nov.

ignorantes magnopere gravabatur, et talium mentes quietare impossibile videbatur. Tamen iste noster pater et pastor Spiritu Sancto inspiratus illas bullas tanquam bonas, sanctas, catholicas et veraces proprio motu firmavit. Tanto fortius illi familia obligatur, quanto nobis majus impendit beneficium.

Iste pontifex pro serenissimo rege Ferdinando fuit missus a Domino; quoniam, sicut Calixtus toto conamine de regno illum parabatur expellere, ita hic toto conamine hunc conatus est in regno firmare; erant enim prius amici; et saepius, ut audivi, dicere consueverat: « Vere, si mantum sancti Petri expendere deberem, ipsum regem constituam. » Dixit, et facta sunt. Nam rex Ferdinandus auxilio summi pontificis Pii regnum Siciliae tenet; et licet illustrissimus dux Mediolani juverit illum, papa tamen fuit principale scutum. In hoc tamen fama suae sanctitatis gravata fuit, quod expulsa comitissa *Celani*, quae partes regis omni studio foverat, nepoti suo comitatum illum tradidisse cernitur.[1] Et extra dominium Neapoli obiit, licet corpus ejus in locum sancti Bernardini de Aquila dominus *Petrus*, ejus filius, fecerit reportari; et in cappella sancti Bernardini suis eleemosynis aedificata quiescit.

Denique suspensis bullis Calixti secundum mores bullarum Eugenii nostra familia vivere compulsa est; et quod longo tempore olim obtinere contendimus, hoc praeter nostram spem pietas divina concessit.

---

[1] Cf. Raynald., *Ann. eccl.* ad an. 1463, n. lxxviii et lxxix; sermo est de comitissa *Cobella* (Jacoba), uxore comitis Leonelli *Acclozemora (Acclociamuro)*, quae multa beneficia fratribus exhibuit et specialem erga S. Joannem Cap. devotionem habuit; qui moriens « benedixit cunctis familiae nostrae benefactoribus et fautoribus...; nec ab hujus benedictione fuit aliena illa religiosissima et illustrissima D. Cobella, Celani comitissa..., quae sicut hunc beatum virum in carne viventem in praecipuum patrem habebat et totius vitae consultorem, ita nunc ipsum in coelis regnantem habet advocatum singularem » (cf. Epist. fr. Joannis de Tagliac. apud Wadd. ad an. 1456, n. lxxxvi; *Acta SS.*, l. c., pg. 398). — De multis favoribus, quos Pius II suis consanguineis exhibuit, cf. Pastor, l. c., t. ii, pg. 93 sqq.

Iste Pius summus pontifex castrum, de quo fuerat oriundus, civitatem fecit et, ut civitas Pia vocaretur, instituit.[1]

De capitulo generali sanctae Mariae de Angelis et congregatione cruciatorum in civitate Anconensi et nostro transitu ad partes Dalmatiae (1464).

CAPITULUM 29.

Iste pontifex Pius animosus homo fuit; nam duos dominos temporales magnae reputationis excommunicavit, scl. quemdam ultramontanum, nomine *Sigismundum*, alterumque Italicum, eodem nomine vocatum.[2] Iste insuper multos praedicatores cruciatae per orbem transmisit et, ut omnes Anconae congregarentur, ubi omnia necessaria ad expeditionem pararentur, instituit. Adveniente denique tempore, quo convenire debebant, multi ultramontani paratissimi venerunt Anconam et putantes, omnia secundum promissionem fore parata, nullam praeparationem penitus invenerunt; putantesque se fore delusos in multa murmuratione manebant. Venit denique Anconam dux Venetiarum, quod nunquam Venetos fecisse ferunt. Denique venit et pontifex; et divinae voluntati placuit, ut post collocutionem sanctissimi pontificis et illustrissimi ducis pontifex repente infirmatur et moritur.[3] Et ita omni murmuratione sedata pauperculi

[1] Natus est Pius II *Corsignani,* cui loco ipse dedit nomen « *Pienza.* »

[2] Anno 1460 excommunicavit *Sigismundum, ducem Austriae,* et *Sigismundum Malatesta,* dominum *Ariminensem.*

[3] Errat B. Bernardinus. Primus advenit pontifex et jam gravius aegrotavit, quando advenit dux Venetorum; « triremes Venetos numero duodecim, in quibus et Venetorum dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deterri se jussit ad primum litus classem inspecturus eaque inspecta gemuit » (CAMPANUS in *Vita Pii II,* apud MURATORI, *Script. rer. Ital.,* t. III, p. II, pg. 990); statim infirmitas est multum aggravata, et ante audientiam jam stabilitam papa mortuus est.

cruciati redierunt ad propria, et cruciata pro illa vice fuit in fumum conversa.

Illis temporibus generale capitulum nostrae familiae secundum concessionem bullarum Eugenii in sancta Maria de Angelis fuerat celebratum. Verum quia vicaria *Bosnae* et provincia *Dalmatiae* in non parva contentione vivebant ab initioque vixerant, et quasi omnes principaliores nostrae familiae fratres ad illas per obedientiam missi accesserant, et nunquam de remedio opportuno his potuit provideri, cogitaverunt illas per litteras summi pontificis fratres unire.[1]

Obtentis litteris summi pontificis capituloque expleto tabula legitur, in qua inter alia dicitur: « *Frater Bernardinus de Aquila vicarius provinciae Bosnae et Dalmatiae.* »[2] Quod cum audissem, in magna fui tribulatione constitutus cogitans, quod omnes principaliores fratres nostrae (f. 18v) familiae ad partes illas accesserant, eorumque differentiae nunquam quietatae fuerunt. Si ergo patres ex omni meliores me parte vix quidquam boni facere potuerunt, quid ego vermiculus facere potero? Tandem recogitans, quod principale religionis fundamentum obedientia esse decernitur, vere — inquam — si mori deberem, omni mea fiducia in Domino nostro Jesu Christo et ejus matre gloriosa et patre nostro beato Francisco et in virtute obedientiae sanctae posita animosus accedam sperans, quod tali fiducia sumpta Dominus meus diriget gressus meos et oves suas ipse fovebit.

Sumptis sociis atque obedientia aliisque necessariis versus Anconam gressus dirigo ibique cruciatos ut supra vidi; navemque intravimus, ut ad terram *Fluminis* applicaremus ad festum nativitatis Joannis Baptistae, quo festo ibidem nundinae celebrantur; transactisque promonturiis et canali *Quarnarii* jam

[1] Videsis litteras Pii II febr. 1463 datas (« *Dudum per litteras* ») apud FERMENDŽIN, l. c., pg. 251.

[2] Cf. acta hujus capituli in *Registr. vic. gen.* (cod. cit. *arch. Vat.*), fol. 59r.

sumpto, ut ad Flumen iremus, mala bestia borea contra nos mirabili furore surgente vix *Portum Longum* cum maximo labore capere potuimus; ibique quidam juvenis de partibus Sclavoniae ad propria redire volens peste infirmatus mortuus et in litore maris sepultus fuit. Omissis denique multis periculis et tribulationibus, quas per XIII dies in mari passi fuimus, demum artificiose *Jadram* opus fuit intrare. Fratres vero illi honorifice et cum magna caritate nos acceptarunt. Jadrae quoque fratrem venerabilem *Christoforum* provinciae Dalmatiae vicarium reperimus, qui statim certificatus de voluntate pontificis et capituli generalis suae provinciae mihi sigillum liberaliter assignavit. Et cum coepissem de dispositione facta cum fratribus habere sermones, omnes dicunt se esse paratos; tamen fratres *Ragusinos* renitentes fore suspicantur.

Inito denique cum fratribus consilio, quid facto opus sit, Ragusium accessimus, frater Christoforus antedictus et plerique Dalmatini una nobiscum. Fratres vero *Bosnenses* in aliqua bona quantitate et principaliores in loco *Pasmani*[1] morabantur, in quo statutum fuit debere celebrari capitulum, quibus etiam conclusio suscepta complacuit. Perreximus denique Ragusium, et ipsimet nos etiam gratiose acceptaverunt.

Ad intellectum tamen plurium dicendorum est notandum, quod breve summi pontificis sub poena excommunicationis latae sententiae praecipiebat, ut omnes fratres huic unioni obedire deberent. Item est notandum, quod Ragusini existentibus fratribus congregatis in sancta Maria de Angelis quasdam bullas subreptitias obtinuerunt, quarum auctoritate quatuor loca Bosnensium, quae juxta Ragusium sunt, de facto susceperunt, scl. locum *Stagni,* locum *Slani,* locum *Umble* et locum *Canalis.*[2] Coepimus igitur de unione ista cum fratribus Ragusinis

---

[1] Insula maris Adriatici prope Jadram (Zara).

[2] Cf. FERMENDZIN, *Chronicon Bosnae,* pg. 23.

habere sermonem; et quia ipsi illa quatuor loca susceperant animo retinendi et minime restituendi et tamen excommunicationem timebant, post plurima me rogaverunt, ut in executione brevis supersedere dignarer, quousque ad superiorem possent habere recursum. Compatiens infirmitati eorum et videns animos eorum modicum paratos ad obedientiam, supersedere permisi.[1]

Est notandum aliud, quod capitulum generale mihi praecepit, quod cum illa parte, quae me acceptaret, vicarius remanerem. Veni *Corsulam,* ut Jadram redirem, ibique fratres Bosnenses in bona quantitate congregatos inveni bona nova expectantes. Gesta narravi et, utrum cum solis Dalmatinis uniri vellent, requisivi; annuerunt casu, quo Ragusini nollent; insuper et addiderunt: « Postquam capitulum vobis injunxit, posito quod nullum locum haberet unio, nos te in nostrum patrem et pastorem acceptamus. » « In bona — inquam — hora. » Valefaciens eis Jadram adii, cuncta retuli, quae acta fuerunt, et utrum ipsi cum Bosnensibus exclusis Ragusinis uniri vellent, diligenter inquisivi; et ipsi bona voluntate se uniri velle dixerunt. « Videte, — dixi — ne me decipiatis; quod facturi estis, liberaliter facite. » Dixerunt finaliter: « Pater! hanc animo libenti, prompto et bono animo promissionem facimus, quod durante triennio vestro, si deberemus mori, deliberamus in unione persistere. »

De unione provinciae Dalmatiae et vicariae Bosnae facta per vicarium generalem et provincialem in capitulo Pasmani.

CAPITULUM 30.

Dum tractarem Jadrae dictos fratres secundum voluntatem summi pontificis et capituli generalis unire, ecce reverendus

[1] Cf. CUSMICH, *Cenni storici sui minori oss. di Ragusa* (Triest., 1864), pg. 20.

pater frater *Marcus de Bononia* generalis vicarius nuper electus Jadram venit, ut inde ad provinciam Siciliae transitum haberet, quod (f. 19r) non sine divina providentia evenisse putamus. Ipse namque Siciliam navigare volebat; ego vero una cum fratribus evidenti ratione remanere coegimus inter alia dicentes: « Spiritus Sanctus te misit ad nos, ut factum hoc utique magnum expedire possimus. » Tanquam bonus pater rationabili petitioni consensit, et finaliter de communi omnium fratrum consensu iterum Ragusium cum patre vicario generali navigavimus cum fratribus iterum tractantes, si quo modo tandem sanctae unioni consentire vellent. Suspensis animis morantur, et nulla certa responsio elici potuit. Vocatur pater et ego ad concilium civitatis, in quo plurima tacta fuerunt; petunt tandem, ut de gratia speciali fratres sui ad capitulum Pasmani ire minime compellantur. Annuit pater pro meliori, ut, si venire volunt, veniant; si nolunt, minime teneantur. Et ita illi boni viri remanserunt nescio quomodo; ad capitulum vero Pasmani nullo modo venerunt.

Redivimus Pasmanum, ubi fratribus capitulariter congregatis ad definitores devenimus, et duo pro una parte et duo pro alia parte electi fuerunt. Unioni locum et modum dare coepimus, in qua tot et tanta difficilia acciderunt, quod frater Marcus, qui erat homo virilis et magni sensus, quasi desperatus definitoribus et mihi dixit: « Agite vos, quae agenda sunt. Angelus meus recessit a me, et quid agam, nescio. » Fecimus ergo nos. Post duos dies angelus ejus ad eum rediit, et noviter agere coepit et bene. Postremo quaedam discordia in re minima contigit, et Bosnenses ita dura cervice durabant, quod ego quasi de factis eorum fui totaliter desperatus sic arguens: « Si ita praesente vicario generali in re minima faciunt, quid ipso absente mecum erit in magnis? » tunc dixi: « Angelus meus recessit a me. » Demum divinae providentiae placuit, quod angelus meus ad me rediit; et post plurimas difficultates

unionem Bosnensium et Dalmatinorum fecimus, capitulum celebravimus, et in bona concordia omnia terminata fuerunt.[1]

Inter alia hoc unum fecimus, quod tota provincia sic unita cum custodibus regeretur, et ita omnes unanimiter assenserunt. Et vere testor, quod talem provinciam, tot loca et tot fratres habentem, sine custodibus nulla ratione gubernare[2] valuissem. Et quia talem gubernationem expertus fui, in pluribus capitulis generalibus dixi, quod mihi, ut cum custodibus familia regeretur, optimum videretur, et plures rationes assignasse me recolo; tandemque conclusi, quod, si cum custodibus regeremus, volentibus me fratribus nullius provinciae officium recusarem, aliter vero nonnisi violentatus alicujus provinciae officium acceptarem. Rationes illas gratia brevitatis omitto. Communitas fratrum dicit: « Nolumus tot superiores habere; » et in veritate fratres bonum suum non intelligunt. Ita expertus dixi, dico et dicam, quousque fuerit vita comes, et ad notitiam posterorum in scriptis relinquo.

Ex dictis notum factum est, Ragusinos ab ista unione seclusos, nec tamen ab obedientia nostra, scl. vicarii provinciae, legitime separatos.[3] Reverendus pater frater Marcus vicarius generalis relicta Siciliae provincia Italiam rediit, et accedens Romam breve summi pontificis urgentissimum, ut Ragusini unioni consentirent, impetravit mihique *Sibinici* in quadragesima praedicanti destinavit et, ut visis praesentibus Ragusium accederem, magna potestate praecepit.[4] Praedicationem in media quadragesima male contentus reliqui et Ragusium accessi et civitatem, in qua clausi erant fratres, qui unioni resistebant, per medium saecularium impeditus intrare non potui; imo

---

[1] Acta capituli apud FERMENDZIN, *Acta Bosnae,* pg. 260-262.

[2] Codex « gubernari ».

[3] Cf. decretum fr. Marci a Bononia de 8 sept. 1464, apud FERMENDZIN, l. c., pg. 262.

[4] Breve « *Accepimus quamplures hactenus* » de 30 mart. 1465, apud WADD. ad an. 1465, n. III.

amplius nonnulli saeculares me custodiebant in die, ne quis fratrum illorum, qui bonam voluntatem habebant, veniret ad me; tamen plerique de nocte venerunt. Et hoc totum agebant, quia, quidquid cum ipsis essem acturus, habita copia brevis me priores noverunt.[1]

Recessi de Ragusio et *Catharum* applicui ibique litteras reverendo domino archiepiscopo Ragusino destinavi; dederant enim ordinem Ragusini cives, ut omnes litterae fratribus directae praesentarentur concilio. Litterae domino archiepiscopo directae erant hujusmodi: « Reverende Domine etc.! Dominationi Vestrae notum facimus per praesentes ad bonam gubernationem ovium Vestrarum, qualiter talis frater et talis — et tres tantum mihi notos nominavi — excommunicati sunt, quia voluntati summi pontificis sub poena excommunicationis latae sententiae praecipientis contrafecerunt, et contravenerunt de unione ipsorum cum fratribus vicariae Bosnae, etc. » Certior factus fui, quod dominus archiepiscopus litteras habuit et concilio civitatis legit, cujus occasione factum fuit, ut plurimi cives excommunicationis timore a fratrum et conventus conversatione cessarent.

Communitas fratrum, qui bono animo incedebant, tanquam angelum Dei me (f. 19v) recipiebant. dicentes: « Pater! tu es pastor, praelatus et pater noster, et te solum volumus tanquam a nostris patribus familiae consignatum; tibi volumus simpliciter obedire; ecce parati sumus. Si placet, amore Dei nos tecum ducas, et ibi nos colloca, ubi tuae videbitur caritati. » Ego vero eos quasi mater filios amplectebar et non parvam

[1] Fratres « Ragusini censuras declinaturi curarunt in senatu et apud magistratum, ne in illorum dominio hae litterae publicarentur, mitterentque suos oratores, qui cum pontifice agerent de retinendis domibus, quas sibi diximus appropriasse. Adeo instanter et importune perorarunt, ut Paulo placuerit facta confirmare eosque ab illis censuris immunes declarare » (WADD. ad an. 1465, n. IV, quo loco etiam breve Pauli II « *Inter curas multiplices* » de 19 maji 1465).

poenam in anima sentiebam, quia non ut voluissem illos poteram gubernare. Tamen illis dicere consuevi: « In bono perseverate! ego vos quasi meos subditos et filios amplector et teneo; et quousque per superiores alia fuerit facta provisio, in bona ista voluntate perseverate! egoque vos in bono statu conscientiarum vestrarum esse decerno. »

Aliqui vero quandoque stimulo conscientiae ducti relictis locis illis ad me veniebant, quos omnes paterno affectu recipiebam et in locis Dalmaticis ea, qua decet, caritate locabam. Ragusini barcam quandam armatam in quodam portu per XV dies stare fecerunt, ne fratres illos de locis illis moverem, suspicantes; et putantes me transisse ea die, qua inde transivi, recessit et me videre non meruit. Ego vero quantum volui cum fratribus fui; et nisi nuntios misissem de *Dassa* Ragusium adventum nostrum nuntiantes, nihil de me sentire potuissent.

Si omnia, quae in illo nostro triennio in partibus illis contigerunt, narrare vellem, sermo noster valde tenderetur in longum; quaedam tantummodo magis necessaria narrare curavi, ut Italici fratres de gestis in partibus illis ex voluntate familiae notitiam certam habeant, et quia communiter in capitulis generalibus illorum fratrum altercatione vexantur. Unum tamen quod circa finem triennii contigit, nulla ratione relinquendum puto, tam pro praeteritorum quam futurorum notitia. Quaedam suspicio Bosnensium orta fuit, quod Dalmatini fratres illis loca circa Jadram existentia auferre tentabant. Narrant mihi et, si quid de his noverim, quaerunt. Respondi simplicem veritatem dicens: « In veritate nihil scio, neque verum puto; » tamen, quia plures ex ipsis id mihi replicabant, dixi aliquibus ex ipsis: « Jadram ibo et rem istam diligenter inquiram. » Ivi et subtilissime et valde rigorose quaesivi et nihil inveni. Bosnenses vero custodes et guardiani et alii plures Spalati congregantur et, quod ego cum fratribus Dalmatinis loca illis Jadrae auferre curem, tenent mihique nuntios mittunt suas suspiciones mihi

manifestantes hoc modo. Dixit enim nuntius: « Pater! nostri patres Spalati casualiter plures congregati sunt et petunt a reverentia vestra, ut ad eorum consolationem unam litteram de vestra manu faciatis, qualiter cum Dalmatinis fratribus, qui nobis loca nostra auferre volunt, non consentitis. » Dixi: « De mane venias ad me, et respondebo tibi. » Super isto puncto de nocte cogitans intra me dixi: « Vere generatio ista prava est et perversa. » Per istas litteras discoperire hoc factum putaverunt; nam si iste scribit litteras istas, omni tempore et in omni loco et coram papa et cardinalibus illum confundere possumus; si vero scribere recusat, certi sumus, quod ipse cum Dalmatinis concordat. Tunc scripsi necessitate compulsus innocentiam meam istius tenoris: « De habita suspicione, quod loca debent fratribus Bosnensibus a Dalmatinis auferri, nihil penitus novi, nec aliquid operatus sum verbo vel scripto per me neque per interpositam personam. Imo fuit mihi maxima poena illud audire; et ad hoc scandalum reparandum, Jadram veni et Jadrae morabar. Habeatis jam et frigatis[1] litteras innocentiae meae, coram omnibus ostendatis. »

Ex dictis lector perpendere potest, quomodo ista bene concordant: ego Jadrae facta ipsorum diligentissime faciebam, et illi Spalati congregati mihi mala, prout est de more ipsorum, reddere student; faciam in his conclusiones, quod sunt viri duplices et suspecti. Ideo familia inter ipsos et Dalmatinos nunquam bonam concordiam componere potuit. Dalmatini simplicius incedunt, utpote quia magis a fratribus Italicis in bonis moribus educati sunt; illi vero Bosnenses cum saecularibus magis domestici sunt, utpote qui curam parochialem habere a Romana curia compulsi sunt, eo quod in partibus illis nulli saeculares sacerdotes neque alterius cujusquam religionis habentur. Ideo invicem concordare nunquam poterunt; quia in

[1] Frigere - fricare.

moribus discordant, nequeunt esse in voluntate concordes. Ego vero tribus annis quasi incus inter tres malleatores vixi, et tamen Dominus meus bonam mihi gratiam fecit, nam nostro triennio. fuerunt in unione conjuncti; ex uno latere Bosnenses, ex alio Ragusini et ex alio Dalmatini me cruciabant; non tamen nisi pro eorum communiter passionibus ut plurimum et non meis mihi molesti fuerunt; oportebat erui me inter ipsos quasi medium omne conservans.

De his, quae circa Bosnenses et Dalmatinos et Ragusinos acta fuerunt in capitulo Mantuae celebrato (1467).

CAPITULUM 31.

(f. 20r) Post triennium nostrum, quo Bosnae et Dalmatiae provinciam fui gubernare compulsus, ad capitulum *Mantuae* necesse fuit accedere; illud enim capitulum solemne fuit; ibi tamen familiae fratres dumtaxat convenerunt. Fratres igitur Bosnenses, Dalmatini et Ragusini ad idem capitulum accesserunt, et usque ad molendina Mantuae cum nostris naviculis Domino duce perreximus non tamen sine labore.

Data temporis opportunitate fui vocatus et, qualiter unio facta transierit, subtiliter inquisitus. Dixi: « Usque modo bene transivit, quia in illa fratres durarunt; sed credant mihi reverentiae vestrae, quia ego, qui fui medius inter ipsos, fui multipliciter malleatus; ex uno latere Bosnenses, ex alio Dalmatini et ex alio Ragusini me multipliciter percusserunt, potius inter se dissidentes, quam me affligere volentes. » Dixerunt iterum: « Estne unio ista duratura? » Dixi: « Vere non. In veritate dico vobis, quod vix usque ad hoc capitulum manutenere potui. Nullo mihi modo videtur posse durare; nam differunt moribus, oportet et voluntate differre. Bosnenses sunt in partibus illis

parochiales, et ideo cum saecularibus continuo conversantur; et ideo, quando ad partes Dalmatiae veniunt, statim totam percurrunt civitatem et hominum et mulierum cito familiaritatem capiunt. Dalmatini vero, qui ad mores Italiae educati sunt, tales familiaritates fugiunt. Cum itaque differant moribus, et voluntate non possunt esse uniti in caritate. »

Post hoc Dalmatini accesserunt separationem petentes, aut, si volunt unionem confirmare, dimittant Bosnensibus provinciam ipsosque ad Italiam ducant. Fratres itaque capituli videntes, quod unio durare non poterat, separationem procurare a summo pontifice voluerunt talemque separationem uni ex fratribus Dalmatinis et uni ex Bosnensibus commiserunt. Dalmatinus se excusavit, ideo in solo Bosnense remansit. Continuo Romam perrexit obtentaque pontificis audientia dixit: « Beatissime Pater! patres nostri volunt, quod a fratribus Dalmatinis separemur; nos, quod ipsi volunt, facere oportet. Placeat Sanctitati Vestrae breve separationis concedere. » Pontifex *Paulus* audiens et intelligens verba proposita novit, quod fratres unum verbo petebant et aliud mente volebant; dixit: « Estne ista separatio in praejudicium vestrum? » Respondit socius dicens: « Est in nostrum praejudicium, Beatissime Pater! » Et ita mihi retulit unus ex ipsis. Dixit papa: « Nolumus, quod fiat breve separationis, sed confirmativum unionis. » Et ita factum est.

Patres vero capituli me procuratorem sive *commissarium in curia Romana* fecerunt.[1] Accessi Romam et inveni fratres Bosnenses et, si breve separationis secundum commissionem sibi factam impetrassent, quaesivi. Responderunt, quod non, sed necessarium erat summum pontificem sollicitare, ut tale breve possent acquirere. Ego vero religiose et simpliciter incedens illis credebam. Hi boni viri omni die infallanter ad summi pontificis palatium accedebant; tandem, quod breve confirma-

[1] Acta capituli Mantuani in registro pluries citato, fol. 86v et sqq.

tionis impetrassent, comperi;[1] et hoc modo falsitates commiserunt: primam contra totam familiam, secundam contra me particularem, dicendo se non impetrasse, et tertiam, quod sub isto colore audientiam pontificis pro alia causa, quam ipsi norunt, habere quaerebant. Interrogati vero dicti fratres, si quo modo ipsi cooperati fuissent cum summo pontifice, me praesente vicario generali mendacium fecerunt dicentes, quod non. Dixi: « Nonne vos dixistis mihi, quomodo fuistis operati? Non verecundamini in caput vestrum mentiri? » Et verbo hoc eos momordi; et cum hoc etiam unus ex ipsis negare vellet, remordens ejus conscientia non sinebat libere verba proferre; hujus occasione actum est, ut omnes, qui praesentes erant, ipsum pro confesso haberent.

Ragusini etiam principaliores fratres ad praedictum capitulum venerunt; insuper et cives Ragusini quosdam de nobilioribus civibus pro ambassiatoribus ad capitulum destinarunt existimantes evenire, quod contigit. Fratres namque et patres capituli informati plene de factis fratrum et intelligentes eorum rebellionem, scl. quia unioni consentire noluerunt, et spoliationem locorum fratrum Bosnensium, de qua supra scripsimus, in poenitentiam eorum a familia praeciderunt.[2] Et licet Ragusini cives et ambassiatores pro defensione fratrum suorum valde pugnaverint multis precibus rogando patres capituli, deinde cives Mantuanos, postremo dominum civitatis, qui est maximus fratrum minorum devotus, pariter et amicus, ut per intercessionem ipsius fratribus ipsorum parceretur, nihil tamen obtinere valuerunt. Steterunt itaque fratres Ragusini a familia praecisi in punitione contumaciae suae per aliqua tempora, sed per

[1] Videsis breve hoc (« *Memores sumus* ») ad fr. Dominicum de Gonissa die 25 junii 1467 datum apud FABIANICH, *Storia dei frati minori in Dalmazia e Bossina*, p. I (Zara, 1863), pag. 440.

[2] Cf. decretum capituli apud FERMENDZIN, l. c., pg. 270.

interpositionem reverendissimi domini Nicaeni protectoris[1] retentis locis Bosnensibus ablatis ad familiam recepti sunt.[2]

(f. 20v) *De provisione fratrum provinciae Bosnae et Dalmatiae in capitulo Mantuano et obitu vicarii generalis et aliis quibusdam contingentibus tempore nostri commissariatus in curia Romana (1467-1468).*

CAPITULUM 32.

Habita deliberatione per fratres in capitulo Mantuano de separatione fratrum provinciae Bosnae et Dalmatiae hoc intermedio, quo breve separationis impetraretur, frater *Dominicus de Gonissa* venerabilis pater ad gubernationem illius provinciae fuit destinatus,[3] omnes fratres expectantes firmiter breve separationis. Verum quia factum fuit oppositum, opus fuit ad novum factum novam facere provisionem. Qualiter autem provincia illa fuerit gubernata, mihi non est notum;[4] unum novi, quod frater Dominicus ad Italiam rediit post parvum tempus, quia sua natura mare sustinere non poterat, et illa provincia sine accessu per mare regi non valet; imo puto me dè tribus partibus temporis duas consumpsisse per mare toto triennio, quo fui executus vicariatus officium.

His temporibus *Paulus secundus* summus pontifex in sede

[1] Cardinalis *Bessarion*, quem Pius II die 10 sept. 1458 ordinis minorum constituit protectorem.

[2] Die 31 martii 1468; cf. WADD. ad an. 1468, n. I-IV.

[3] Cf. FERMENDZIN, l. c., pg. 270.

[4] Usque ad capitulum generale anno 1469 celebratum, fratres Dalmatini et Bosnenses manserunt uniti, fratres vero Ragusini suum habuerunt *commissarium* (fr. *Jacobum Patavinum*); in illo capitulo « statutum est, ut fratres Ragusini Dalmatinis uniti in unam coalescerent provinciam, et Bosnenses juxta antiquum morem suum eligerent vicarium » (WADD. ad an. 1469, n. VIII).

Petri sedebat. Et Veneti legatos pro suis negotiis Romam destinarunt, quibus inter alia commissum fuit, quod sex loca Bosnensium, quae circa civitatem Jadrae sunt, Dalmatinis fratribus applicarentur,[1] quia Bosnenses fratres suspectos habebant; loca sunt ista, scl. locus *Ulliani,* locus *Castri novi,* quod ipsi in eorum vulgari *Novigrado* vocant, locus *Pasmani,* locus *Crapani,* locus *Spalati* et locus *Corsulae.* Pugnabant mirabiliter ambassiatores cum summo pontifice, qui etiam Venetus erat, ut loca illa Dalmatinis applicarentur omnino, eo maxime, quia Bosnenses cum inimicis Venetorum continuo practicabant; insuper et multa in speciali allegabant contra ipsos, quae si vera erant nescio; ipsi tamen asserebant illa omnia probaturos. Circa hoc tamen dicam, quod sentio. Dum essem in Dalmatia, officiales Venetorum et praecipue Jadrae, ubi tota eorum suspicio erat, multam mihi molestiam dederunt; ego vero in veritate fratres defensabam dicens: « Quid est hoc amore Dei? Ego pluribus vicibus fratres cum multo rigore visitavi, et nunquam de talibus aliquod signum inveni. Miror de vobis; pauperculi fratres de minimis cogitationibus habent conscientiam, et vos putatis, quod dominio vestro civitates auferre tractent. Absit hoc a mentibus pauperum fratrum. » Quanto magis illos excusare nitebar, tanto eorum animus contra illos iracundia et indignatione magis accendebatur; et mihi dicebant: « Reverentia vestra religiose et simpliciter ut decet incedit, sed ista generatio prava a vobis veritatem abscondit. » Hoc et multa similia et deteriora dicebant.

Videns vero, quod ambassiatores antedicti procedebant in causa, rogavi, ut placeret eis, quae honeste poterant, mihi indicare dignarentur. Hoc tantum habere potui, scl. quod summus pontifex illis gratiam facere pollicitus erat. Summus pontifex

---

[1] Respublica Veneta pluries illis temporibus fratres minores Bosnenses ob causas *politicas* vexavit.

et reverendissimus dominus cardinalis *sancti Marci* Bosnensibus favebant.[1] Non possum omnia scribere; finaliter quoddam inhonestissimum breve contra illos miseros fratres Bosnenses obtinuerunt, scl. continens infamiam et confusionem eorum.[2] Miseros voco, quia Ragusini quatuor loca et Veneti sex illis abstulerunt, et Turcus, secundum quod mihi retulerunt, 38 loca destruxit;[3] jam pauca loca et male disposita tenent. Ipsi vero, quod loca circa Jadram a Venetis obtenta Dalmatini fratres fecerint, firmiter tenent, et in ista opinione, quod fratres Dalmatini hoc fieri fecerint, tenuerunt et tenent. Mihi aliter non constat; veritatem Deus novit; Veneti, quod pro suo interesse facerent, asserebant.

His temporibus contigit, quod reverendus pater vicarius generalis frater *Baptista de Levanto* de provincia Terrae Laboris ad patrem vicarium provinciae et ad me litteras destinavit ejusdem tenoris, scl. quod, cum esset a medicis pro sua infirmitate diffidatus, pro bono familiae Romam venire cupiebat; ut pro se iremus, Dei amore petebat. Legi litteras ejus non sine lacrymis; diligebam enim eum quasi virum multis virtutibus ornatum. Ivimus pro sua paternitate *Gaetam*, pater venerandus frater *Jacobus de Corneto*, vicarius provinciae Romanae, et ego. Verum quia graviter infirmabatur, equitare non poterat; hinc de Gaeta ad *Ostium* fuimus navigare compulsi, deinde Romam. Vocantur medici; student, conferunt multa simul, ut hunc virum possent reddere sanitati.

[1] Cf. litteras Pauli II (« *Votis Domino* ») die 9 aug. 1467 datas, quibus laudat fratrum Bosnensium constantiam et zelum (apud WADD. ad an. 1467, n. XI, GREIDERER l. c., pg. 64, FERMENDZIN, l. c., pg. 272): Cardinalis sancti Marci est *Marcus Barbus*, nepos Pauli II, qui plures ordini minorum contulit favores (cf. GREIDERER, l. c., t. I, pg. 109, 569, 613 etc).

[2] WADD. haec habet ad annum 1465 (n. V), acciderunt anno 1468; cf. FERMENDZIN, l. c., pg. 277: die 28 dec. 1468 *Christophorus Mauro*, Venetiarum dux, Antonio comiti et Marco Cornario capitaneo Jadrae jubet, ut fratres vicariatus Bosnae, « suspectissimi et statui nostro Dalmatiae periculosissimi, » qui versantur in locis Dalmatiae ammoveantur et licentientur.

[3] Postquam anno 1463 regnum Bosnae subjugaverat.

Veniunt Bosnenses et causam suam cum illo reparare volebant. Respondit: « Ego sum, ut cernitis, semimortuus. Patri fratri *Angelo de Bulseno* et patri vicario provinciae Romanae et meo commissario causam audiendam dumtaxat committo. »[1] Venerunt et omnia sua fundamenta super falsitate fundabant, quibus dixi: « Amore Dei, si vultis audiri, dicatis veritatem. »

Desinit codex.[2]

---

[1] Mortuus est mense febr. 1469.

[2] Plura a B. Bernardino hoc tempore peracta videsis apud. WADD. ad an. 1469, n. II et VIII.

APPENDIX

Provinciae D. Bernardini Coenobia

cum vitis quam brevissimis cum beatorum tum optimorum a provincia ipsa oriundorum ac exterorum minorum patrum observantium in iis fere singulis coenobiis sepultorum ad annum 1464.

BEATO BERNARDINO AQUILANAE FOSSAE
AUCTORE.

APPENDIX

Provincia S. Bernardini olim Pennae vocata in quodam capitulo Mediolani celebrato mutato nomine a S. Bernardino, cujus corpus in ea requiescit, nomen accepit ac deinde S. Bernardini provincia ubique appellatur. Quod quidem capitulum valde fuit solemne, quo totus ordo convenit, scl. fratres ultramontani et citramontani, conventuales et observantes, atque de omnium fratrum communi consensu hujusmodi nominis mutatio facta fuit.

Haec siquidem provincia ad nostra usque tempora sc. 1464 *quindecim* dumtaxat observantium loca invenitur habere.

I namque *S. Juliani* locus est prope civitatem *Aquilam*, qui primo in provincia ipsa anno Domini 1415 captus est.

II est *S. Bernardini* locus intra dictae civitatis moenia situs, necdum tamen completus est; cui terraemotus, qui civitatem ipsam miro modo vastavit, valde fuit impedimento (corruit enim pro majori parte aedificium), ad quem ipsius S. Bernardini reliquiae nunc in S. Francisci conventu conquiescentes, quarum causa locus ipse construitur, transferendae sunt.

III locus est *S. Andreae* juxta *Theatinam* civitatem situs (Chieti).[1]

[1] In parenthesi posuimus nomina hodierna ab antiquis differentia.

IV. locus est *S. Christophori* a civitate *Pennae* parum distans.

V locus est *S. Nicolai* locus prope *Sulmonem* consistens.

VI locus est *S. Mariae de Gratiis* juxta civitatis *Therami* muros constitutus.

VII est locus *S. Angeli Pacis* a muris *Regiae Terrae Lanceani* paululum distans (Lanciano).

VIII vocatur etiam locus *S. Mariae de Gratiis*, qui a *Regia Terra Ortonae* aliqualiter distat.

IX est *S. Leonardi* locus a muris *Regiae Terrae Adriae* non longe dissitus (Atri).

X est etiam *S. Bernardini* locus, qui a muris *Regiae Terrae Campli* competenti spatio distat.

XI locus est *S. Francisci* prope *Caromanicum* aedificatus (Caramanico).

XII item *S. Bernardini* locus est prope Civitatem *S. Angeli* (Civita S. Angelo).

XIII locus est *S. Francisci* prope *Capistranum*.

XIV est locus *S. Joannis* juxta *Rocham Montisplani* situs (Rocca Montepiano).

XV tandem est *S. Mariae de Gratiis* locus per milliare cum dimidio ab *Orsonia* distans, qui et *S. Maria de Podio* a vulgaribus nuncupatur (Orsogna).

In conventu igitur Aquilae novi militis Christi S. BERNARDINI corpus requiescit, de cujus vita et miraculis atque eximia praedicatione nihil dicere praesumo, quoniam plerique excellentioris ingenii viri illius vitam describere nixi sunt, famaque ipsius per universum orbem diffusa augetur.

In eodem conventu quidam juvenis laicus sepultus est, qui frater PHILIPPUS A CARPONETO nomine dicebatur. Qui et

vitae notabilis fuit et aspectu angelicus. Hujus mores, vitae honestas et religio omnium intuentium animos ad devotionem trahebant. Erat siquidem tantae sollicitudinis, quod nunquam ullam temporis morulam perdere visus est, sed semper aliquid boni faciens dies suos in Dei servitio laudabiliter expendebat in oratione fervens multis lacrimis suum Deo pandebat affectum, ut quandoque fratribus dicere solitus sim: « Nunquam virum irreprehensibilem nisi hunc me vidisse confiteor. » Raro loquebatur, verbaque sua erant lima discretionis ornata; nunquam turbatus, nunquam accidiosus, sed semper modesta religione jucundus. Hujus nullum novi miraculum, nisi quod ejus vita mirabilis divino miraculo adscribi potest. Infirmatus tandem peste ita pacifice quasi agnus mansuetissimus spiritum Deo reddidit corpusque pulchrius mortuum quam vivum videbatur, quod omnes videntes in laudem summi Creatoris et lacrimas ejus convertebat aspectus.

In loco S. Juliani quidam frater antiquus laicus requiescit, qui frater Masius Aquilanus vocabatur. Hic vir mirae fuit simplicitatis et humilitatis, et cum circiter 68 annos religiosus extiterit, nunquam simplicitatem reliquit, imo in senectute simplicior inventus est et boni sensus, cujus vita semper sancta fuit; in oratione siquidem visus est quandoque elevatus a terra. In aetate vero jam decrepita constitutus utriusque oculi lumine privatus ad mortem usque in caecitate vixit; nunquam tamen nec verbis nec factis, nec nutibus impatientiam quovis modo monstravit, sed in summa humilitate atque humanitate perduravit ita, ut omnes tam fratres, quam saeculares in admirationem converteret; nam in vetulo cano, patiente et humili atque gratioso apertis oculis Spiritus Sanctus habitare videbatur.

Demum cum placuit divinae sapientiae servum suum de miseria vitae praesentis eripere, propter devotionem et importunitatem saecularium populorum per aliquot dies insepultus

retentus est; nunquam tamen putruit, sed facies ejus quasi facies angeli intuentibus videbatur; et caro ejus et omnia membra, sicut dum vivebat, ita post mortem non sine cunctorum admiratione ducebantur. Diffusa denique fama transitus ejus magnus populorum concursus factus fuit, et nonnulli a variis corporis doloribus ejus meritis per divinam largitatem liberati extiterunt.

Hunc virum ego per plurimos annos agnovi tantamque in eum devotionem concepi, ut quandoque post tergum ipsius incedens habitum prae nimia devotione oscularer putans, quod etiam tunc, licet esset in terris, tamen esset a Deo canonizatus in coelis. Et licet jam esset decrepitus, nunquam tamen calciamenta, nec lanea, nec pellicea portare voluit, sed nudis pedibus calopodiis utens tota mente professionem suam stricto modo servare curabat. In divinis laudibus sollicitus jejunia praecepta et quadragesimam *de benedictis*[1] nunquam dimisit. Unde propter religionem suam factum extitit, ut fratribus ac saecularibus foret carus; tantoque ipsum venerabantur affectu, quod et videre et audire delectabantur, quasi angelum Dei ambulantem in terris. Et corpus ejus in altari capellae loci sepultum est, atque in pariete insuper dictum altare ejus depicta est effigies.[2]

In eodem loco S. Juliani quidam juvenis sepultus est, nomine frater Apollonius de Aquila, sacerdos et praedicator. Hic juvenis in provincia Tusciae fuit receptus ad ordinem, sed obedientia cogente ad hanc provinciam rediit. Erat enim juvenis aetate, sed moribus canus; eratque tam dulcis conversationis, quod omnium secum conversantium animos in sui amorem vertebat. Et licet parvo tempore officium praedicationis

[1] Quadragesima « benedictionis », quae incipit ab Epiphania Domini.

[2] Cf. P. Ugone da Pesco Costanzo, *Memorie*, pg. 11-74.

habuerit, tamen pro sui conversatione sancta et praedicationis elegantia cunctis acceptissimus erat ita, quod, si diu vixisset, nomen sibi singulare fecisset. Hujus rei testimonium terra Caromanici et Guardia Grelis,[1] in quibus ultra omnes acceptissimus fuit, perhibere possunt.

Placuit tamen divinae pietati, ne malitia mutaret intellectum ejus et ne fictio deciperet sensum illius, in aetate juvenili de hac vita subtrahere; placita enim erat Deo anima illius. In cujus morte hoc miraculum monstravit Altissimus; nam bizochae, quae nunc juxta hospitale majus in Aquila commorantur, sero quodam circa horam noctis casu inspexerunt versus locum sancti Juliani, qui de summitate quarumdam scalarum inde videri potest, et non sine magna admiratione quandam columnam luminis supra locum praedictum fuerunt intuitae, quid hoc significare vellet, nullatenus intelligentes. De mane vero hora competenti surgentes ad fratres in conventu S. Francisci ad custodiam corporis S. Bernardini degentes perrexerunt, quidnam columna illa luminis significare vellet, subtiliter inquirentes. Qui responsum dederunt eisdem, qualiter commoniti erant a fratribus sancti Juliani, quod hora illa sanctus ille juvenis miseram hanc vitam relinquens migravit ad coelum. Hoc proinde divinam sapientiam fecisse putamus ad sui nominis gloriam et juvenis illius honorem, ut, sicut ipse in vita lumine sanctitatis resplenduit, ita in morte lumine divino comitatus ad vitam aeternam conscenderet. Ita enim divina sapientia facere consuevit, ut qui in hac vita viam sibi luminosam per bonorum operum exercitationem paraverunt, per viam luminosam coelos ingrediantur; alias, sicut inquit Gregorius, qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio repraesentatur.[2]

---

[1] *Guardiagrele.*

[2] Cf. Ugone, *Memorie,* pag. 75-87.

In loco S. Andreae prope civitatem Theatinam quempiam particularem fratrem miraculis ac sanctitate pollentem quiescere audivi, necdum tamen agnovi.

Hoc unum minime praetereundum putavi, quod a fratribus nostris et a monialibus *S. Mariae de Civitella* intra moenia praedictae civitatis constitutis certa testificatione sentii. Quodam namque tempore in praedicto loco pulchra ac devota familia per provinciale capitulum posita fuit, et praecipue plurimi juvenes novitii ac professi. Multi cives praedictae civitatis ac monaci [1] praedicti monasterii per XV dies continuos solemnes processiones cum multis luminariis circumcirca locum circa primam noctis horam non sine admiratione clara luce viderunt; putabant enim, quod fratres pro eorum devotione ac populi aedificatione hoc agerent: Fratres vero a civibus interrogati, quare id facerent, ea se minime fecisse respondebant, imo rem tantam eisque ignotam valde mirati sunt. Demum pestis locum obsedit, ac octo ex fratribus illis mortui sunt. Bonus Dominus hoc signo ostendere voluit, quod angeli sancti valde laetantur, quando eorum concives vitam hanc miseram relinquunt et ad eorum consortium pergunt in aeternum victuri; itaque processiones illae angelorum fuere, non hominum, fratrum praedictorum mortem significantes. Et vere ita credere atque tenere debemus, nam quicumque fratres illos novisset, sic esse nullatenus dubitaret; erant enim juvenes bonae voluntatis, summae honestatis, miraeque devotionis; propter quod angeli tantam in eis religionem cernentes ad honorem Dei devotionem populi fervoremque remanentium fratrum hoc signum ostendere voluerunt.

De praedicta civitate fuit quidam frater laicus, cui nomen frater ANDREAS PICCOLINUS erat. Hunc virum numquam vidi,

[1] Ita ed. 1; videtur legendum « monacae ».

famam tamen ejus claram a fratribus et saecularibus audivi. Erat enim (ut ferunt) corpore parvus, sed animo magnus; erat porro tanti fervoris, quod pro Domini amore nihil quodammodo sibi difficile videbatur, propter quod B. Joannes a Capistrano, cujus comes diu fuit, suam promptitudinem atque fervorem cernens pro parva culpa magnam ei poenitentiam imponere consueverat, quam ille magno cum fervore ac devotione, imo et animi hilaritate solvebat.

Hic denique in civitate Tiburis praedicti patris B. Joannis comes existens, ex hac vita debitum humanitatis exsolvens migravit ad coelos. Nec silentio praeterire debeo, quod mihi fratres hujus viri miraculum retulerunt. Saepe namque, ferunt, in horto supradicti loci ad laborandum existens quandam aviculam (quae vulgo *petto rosso* nominatur) vocare consueverat, ad quem illa secure veniens in suo capite, humeris et manibus domestice ponebatur, atque cibum de suis manibus absque timore sumebat; quo sumpto, ut prius, revertebatur ad nemus. Porro, ut mihi videtur, hic Dei servus ad magnam conscientiae serenitatem fuerat a largitate divina perductus, cum quo avicula silvestris tanta familiaritate atque securitate ludebat.

In loco S. Christophori prope civitatem Pennae quidam clericus adolescentulus obiit, qui frater JACOBUTIUS vocabatur;[1] qui licet aetatis causa aliquantulum levis esset, bonam tamen voluntatem habebat. Veniens denique ad mortem dixit fratribus, qualiter frater *Thomas a Caromanico* in eadem terra Caromanici vestitus erat. In diebus illis quidam discipulus S. Bernardini, frater *Paulus de Senis,* praedicator utique egregius, ibidem praedicabat praedictumque fratrem Thomam vestiverat; necdum fratribus fuerat nuntiatum, quod quidem infirmo adolescentulo

[1] Cf. de hoc loco ipsiusque fratribus sanctitate praeclaris P. COSTANTINO BAJOCCO, *Cronaca Serafica di Penne* (Pennae, 1888), pg. 85 sqq.

non ab homine, sed a Deo revelatum fuisse putatur. Idemque praedixit guardianum conventus ad se tunc venire, quod etiam fratribus erat ignoratum, sibi tamen extitit revelatum; denique post parvi temporis spatium, uti praedixerat, guardianus advenit.

In praedicto loco sepultus est quidam frater antiquus, olim B. Joannis a Capistrano socius, qui frater Aegidius Aquilanus vocabatur, paupertatis quidem et castitatis singularis amator; et diu fuit in ordine. Ad cujus sepulturam quidam Colutius Maleoni de Camplo devotus accessit, et cum devotione illi se recommisit, ut terribilis rupturae,[1] quam patiebatur, curationem acciperet; cujus devotionem Deus adspiciens ob merita dicti patris gratiam fecit eidem, et perfecte curatus est. Quod miraculum ab ore dicti Colutii intelligere curavi, et ita fuisse mihi cum devotione narravit.

In eodem loco S. Christophori prope civitatem Pennae quidam frater Petrus laicus de eadem civitate sepultus est, qui beati *Thomae Florentini* discipulus fuit atque vitae illius maximus imitator.[2] Hic juvenis oratione et contemplatione atque vigiliis maxime delectabatur, ita quod rarissime ultra tres horas infra diem naturalem dormiebat. Hic lubentissime in oratione consistens brachia extendebat in cruce dixitque mihi semel, dum viveret, quod, quoties volebat, per tres horas continuas in oratione persistens in cruce positus existebat. Hunc quandoque in oratione et in cruce positum vidi facie rubicundum et mente elevatum, quod angelus Seraphim esse videretur. Hic item et a fratribus quandoque visus est ut supra in cruce positus tanta mentis elevatione suspensus et facie rutilans, quod alta voce et pluries vocatus nihil penitus sentiebat exterius, eo

[1] Ed. 1 « ructurae ».
[2] Cf. Marc. Ul., l. c., p. III, l. 2, c. XXVIII, XXIX, XXX.

quod mens illius ad superna elevata, quae inferiora et viliora sunt, minime sentiebat. Hic juvenis aetate, sed prudentia senex erat ita, quod perfecte mortuus sub obedientia praelatorum de se nihil habebat omnem sui curam in manibus praelati penitus relinquens honestate singularis et sanctae paupertatis amicus. In loco Orsoniae 13 annos continuos perseveravit die laborans in factione laterum et tegularum ac deportatione lapidum ad loci constructionem et in lignorum incisione atque ipsorum laboratione; nocte vero semper circa horam ejus tertiam surgens in oratione et contemplatione consistebat, sicut ejus magister B. Thomas facere docuit; et breviter fratribus et saecularibus sanctitatis speculum videbatur.

In loco sancti Nicolai prope Sulmonem corpus B. PHILIPPI AQUILANI requiescit, qui paupertatis maximus zelator fuit, castitatis et obedientiae maximus amicus, oratione devotus, discretione singularis, humilitate praecipuus, simplicitate purus, prudentia cautus, quasi serpens contra diaboli insidias semper intentus, et (ut brevibus multa complectar) singularis nostri B: patris Francisci filius. Cunctis erat speculum sanctitatis; tamen totis viribus suam sanctitatem abscondere nitebatur, sed (secundum Dominum, qui dixit: « Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt ») quanto magis nitebatur abscondere, tanto magis sanctitas ejus circumquaque diffusa fuit. Denique post mortem multa miracula Dominus propter sua merita ostendere voluit, ut patet Sulmonae. De quo viro pro nunc alia non dico, quia vitam suam late descripsi.

In loco S. Angeli Pacis prope Lanceanum notabilis pater et sanctus vir frater HIERONYMUS A STRONCONIO requiescit, qui e provincia sancti Francisci ad hunc per obedientiam missus locum sancti Juliani prope Aquilam coepit; cujus

aliquod non reperi miraculum, sed dumtaxat, quod sanctae vitae vir fuerit.

In praedicto loco requiescit quidam frater laicus, qui frater ANGELUS A TUDERTO vocabatur, vir utique sanctae vitae, orationis et contemplationis, sed inter ceteras gratias prophetiae spiritu a Domino fuit sublimatus mortemque suam praedixerat, quod verum extitit, uti praedixerat.

In loco sanctae Mariae de Gratiis prope Ortonam sive in conventu sancti Francisci frater BLASIUS laicus Aquilanus requiescit, qui mirae simplicitatis extitit. Fuit etiam vir multae orationis et contemplationis et quasi cum fratribus vel saecularibus existens semper utilia et ad divinum honorem animarumque salutem pertinentia loquebatur, et valde exercitiis delectabatur, eratque otiosis fratribus valde molestus. Pomoeria quam plura in provincia nostra propriis manibus proprioque labore plantavit. Hic diu B. Joannis a Capistrano socius extitit, quem et beatus ipse ob suam simplicitatem magno complectebatur amore. Demum in praedicto loco infirmatus pro faciliori curatione ad praedictam Ortonae terram delatus est, ubi cuidam devoto viro tertii ordinis se tali die talique hora de hac vita ex divina voluntate recessurum praedixit, quod ita ad litteram extitit adimpletum.

In loco sancti Bernardini de Civitate Sancti Angeli frater SERAPHINUS a civitate Thetis sacerdos requiescit, de quo miraculum non audivi. Vir hic grammaticam penitus ignorabat; tamen in scripturis divinis ex continua practica modicum peritus ferventissime praedicabat ita, quod doctissimos viros in admirationem stuporemque vertebat. Unde singularissimus artium et medicinae doctor atque sacrae theologiae vehementer eruditus dominus *Nicolaus Pauli* Sulmonensis quorumdam persuasione

ad ejus praedicationes accessit, cui prima vice satis placuit, secunda magis, tertia maxime. Accedens demum ad locum, ut fratrem Seraphinum ex devotione viseret, statim dixit ei: « Frater Seraphine, vere quando ego sum coram te, absque litteris sum, et nihil scio. Et ratio est, quia quando sum coram peritis et magistris theologiae, cum primum ora aperiunt, scio quid dicere volunt, quia quaestiones theologorum, quas ego vidi, proponunt; sed theologia tua scripta non invenitur in chartis. » Fuit enim vir eloquentissimus et omnibus populis acceptissimus praedicator atque suis praedicationibus plurimi juvenes conversi fratres minores effecti sunt; quibus etiam multa bona operatus est in hac provincia, in provincia Januae, Marchiae, praecipue Fabriani, et in Apuliae provincia.

In loco S. Leonardi prope Adriam obiit et requiescit quidam juvenis frater Honofrius a Caromanico, qui bonae indolis fuit et gratiosus atque ab omnibus civibus Adrianis carus et in magna devotione habebatur, licet juventutis causa non multam cum saecularibus conversationem exerceret. Placuit tamen divinae bonitati, ut caduco morbo saepissime gravaretur, ob quem tandem mortuus est; et in tanta devotione habitus est, ut plures gratias sanitatis divina pietas suis devotis pro sua devotione et meritis juvenis impartiret.

In loco Annunciationis de Podio prope Orsoniam frater Christophorus a civitate Pennae sepultus est, qui, ut ajunt fratres, magnae fuit orationis et suam devotionem saepe signis exterioribus ostendebat. Narrant item fratres hunc virum quendam ab Orsonia a magna ruptura, quam pauperculus patiebatur, sua oratione curasse.

In ecclesia S. Mariae de Capistrano requiescit fratrer Angelus laicus, quem ego novi. Hic sepultus fuit in dicta ecclesia,

eo quod sancti Francisci locus recens captus fuerat, in quo fratres adhuc habitare non poterant. Fuit utique probus vir, devotus et in oratione valde sollicitus atque paupertatis singularis amicus. Cujus corpore in feretro posito ac populo circumstante quidam vir, qui brachium ita vulneratum et infirmum habebat, quod nullo medicorum juvamine poterat liberari, devotione commotus ac a Spiritu Sancto inspiratus magna cum devotione accessit ad feretrum, Deum corde orans, ut illius probi viri meritis ab omni eum infirmitate curaret; tandem ex divina largitate actum est, ut statim a sua passione ac dolore curaretur, quod factum non parvam universo populo admirationem ingessit.

IMPRIMATUR:
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. *Magister.*
JOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesger.*

INDEX PERSONARUM

de quibus agit B. Bernardinus

pag.

Aegidius Aquilanus fr., socius S. Jo. Cap. 122
Albertus de Calabria fr., celeber praedicator. 21
Albertus de Sarthiano fr., celeber praedicator; interest capitulo Patav. 1443 . 19, 30
Alfonsus Hispanus fr., vic. prov. Terrae Laboris 66
Alfonsus rex Siciliae, moritur 90
Ambrosius Traversari, de stilo Angeli Clareni 5
Andreas Piccolinus fr., socius S. Jo. Cap. 120
Angelus fr., sanctitate praeclarus. 125
Angelus de Bulseno fr. 111
Angelus de Capranica card., examinat vitam S. Bern. Sen. 36
Angelus Clarenus fr. 4-6
Angelus de Monte Leone, « bonus frater et fervens » 3
Angelus a Tuderto fr., sanctitate praeclarus. 124
Antonius de Bitonto fr., « praedicator eximius » 39
Antonius a Stronconio beatus 17
Apollonius de Aquila fr., sanctitate praeclarus 118
Archangelus de Pontremulo fr., socius vic. gen. 50, 51
Arsenius, amicus Eugenii IV 31
Augustinus de Monte Varroccio fr., interest congr. Ass. 1455 67
Baptista de Levanto fr., vicarius generalis 66, 71-73, 83-88, 110
Barba Gallus, haereticus Hispanus 66
Barnabas de Interamnes fr., interest cap. gen. 1452. 43
Bartholomaeus de Iano fr., socius S. Bern. Sen., **missionarius in Oriente** . 17

		pag.
Berardus de Narnia card., « singularis doctor in jure canonico »		62
Bernardinus Senensis sanctus		116
»	canonizatur	35-38
»	contradicit electioni fr. Alberti Sarth. in ministrum generalem	31
»	legit casus conscientiae	26
»	officium liturgicum ipsius approbatur	84
»	praedicat	18, 19
»	vicarius generalis familiae	21
Bessarion card., protector ordinis		108
Blasius Aquilanus fr., socius S. Jo. Cap.		124
Blasius Ghilinus abbas, praeest congr. Assis. 1455		62-67
Blondus Flavius, secr. apostolicus		61
Borgia Ludovicus, capitaneus ecclesiae Rom.		87, 90
Borgia Rodericus, cardinalis		86
Braccio de Montone, celeberrimus miles		27
Calixtus III agit pro expeditione cruciata		72
»	causa ipsius cum familia	69-72
»	curat eligi min. gen. fr. Jacobum de Sarzuela	86
»	infert bellum regi Ferdinando	90
»	praefert Catalanos	87
»	moritur	91
Christophorus fr., vicarius provinciae Dalmatae		98
Christophorus a Monsa (de Varisio) fr., regit prov. Austriae		77
»	scribit vitam S. Jo. Cap.	20, 82
Christophorus Pennensis fr., « magnae orationis »		125
Cobella, comitissa de Celano, expellitur a Pio II		95
Dominicus de Capranica card., protector ordinis		68, 70, 72, 86, 91
Dominicus de Gonissa fr., praedicator insignis		41
»	vicarius Bosnae	108
Eugenius IV, « singularis amicus » familiae		29-34
Felix, antipapa tempore Eugeni IV		29
Ferdinandus, rex Siciliae		90, 91, 95
Franciscus de Pavia fr., sanctitate praeclarus		17
»	ejus visio	35
Franciscus de Pizulo fr.		57
Franciscus de Stroncona fr., refert historiam fraticell. Perus.		9
Franciscus de Thomeis vicarius Aeneae Sylvii		94
Franciscus de Trevio fr., vicarius prov. S. Francisci		18
Gabriel de Spoleto fr., Guardianus Perusii		26
Gabriel de Verona fr., vic. prov. Austriae		76

pag.

Gabriel de Verona, cardinalis 92
Guerimus, praeceptor fr. Alberti de Sarthiano 30
Herculanus de Perusio beatus 17
Honofrius a Caromanico fr., sanctitate praeclarus 123
Jacobus de Civitate Ducali fr. 58, 60
Jacobus de Corneto fr., vic. provinciae Romanae 110
Jacobus de Mozanica fr., minister generalis 82-85
Jacobus Picenus sanctus, amatur a Calixto III 92
» condit novam formam vivendi 66-69
» contra fraticellos 10
» praedicator eximius 21, 35
Jacobus de Primaditiis fr., vic. generalis 35
Jacobus de Sarzuela fr., minister generalis 86-89
Jacobutius fr. 121
Jeronymus de Florentia fr., socius S. Bern. S. 19
Jeronymus de Stroncona fr., fundator conv. S. Juliani prope Aquilam . . 16, 123
Joannes Capistranus sanctus, canonista optimus 33, 61
» contra fraticellos 10
» contra Turcos 78-81
» defendit familiam 20, 32, 33
» in Austria et Boemia 75-78
» miracula 61, 81
» moritur 81
» procurat canonizationem D. Bern. 36, 37
» pro unione Clarenorum 6
» vicarius gen. familiae 40
Joannes Carvajal card., legatus in Ungaria 78
Joannes Cervantes card., praeest cap. gen. Assis. 1430 27
Joannes Climacus sanctus, ejus scripta 4
Joannes de Palena episcopus, examinat vitam S. Bern. S. 36
Joannes de Prato fr., laborat pro familia 65, 70
Joannes de Stronconio fr., « vir mirabilis » 17
Joannes de Vulterra fr., advers. familiae 39
» praedicat Aquilae 41
Latinus de Ursinis, cardinalis 91
Laurentius de Apulia fr., advers. familiae 57
Liberatus de Aquila fr. 57
Marcus Barbus, cardinalis 110
Marcus Bononiensis beatus 41, 48, 56, 88, 89, 100, 101
Martinus V procurat Italiae pacem 27

pag.
Martinus V favet reformationi ordinis 27, 28
» dat S. Jo. Cap. mandatum Romae praedicandi 76
Massius Aquilanus fr., sanctitate praeclarus. 18, 117
Matthaeus, amicus Eugenii IV. 31
Matthaeus de Narnia fr., vic. prov. S. Bernardini 48
» in congreg. Assis. 1455 . . . . 66 69
Montorii comes Aquilanus, advers. familiae 42
Nicolaus de Fara fr., scribit vitam S. Jo. Cap. 20, 82
Nicolaus V papa, canonizat S. Bernardinum Sen. 35-38
» ejus causa cum familia. 48 55
Nicolaus Pauli Sulmonensis, homo eruditus 124
Paulus II, causa cum fratribus Bosnensibus 106-109
Paulus de Senis fr., discipulus S. Bernardini Sen. 122
Paulutius de Trincis fr., ... 6-11, 23
Petrus de Anguillaria fr., vicarius prov. Romanae 49, 66
Petrus de Celano comes 95
Petrus de Noxeto, secret. Nicolai V. 50, 51
Petrus Pennensis fr., sanctitate praeclarus 122
Philippus de Aquila fr., venerabilis. 21, 123
Philippus a Carponeto fr., sanctitate praeclarus 116
Philippus de Massa fr. 51
Pius II, ejus causa cum familia 61, 92 94
» expedit. cruciat. promovet 74, 96
» expellit comitissam de Celano 95
» favet regi Ferdinando 95
» moritur Anconae 96
Renatus rex Siciliae 19
Robertus de Leccio fr., praedicator egregius et adversarius familiae . . . 39-56
Rocyzana haereticus 76
Sanctes de Penna fr., adv. familiae 58, 59
Seraphinus de Gaeta fr., praedicator insignis 43, 52
Seraphinus a Thetis fr., sanctitate praeclarus 124
Sforza Blanca ducissa 85
Sforza Franciscus, dux Mediolanensis 16, 82, 85
Sixtus IV, unit Clarenos ordini minorum. 5
Thomas a Caromanico fr. 121
Thomas a Florentia fr., venerabilis 122
Vitelleschi Jo., card. 6, 7

Nihil obstat ex parte Ordinis.

Fr. DAVID FLEMING, Vic. Gen.lis O. F. M.